MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80424-7

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HORACE

TITLE:

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLA AD PISONES

PLACE:

LEIDAE

DATE:

1845

Master Negative #

91-80424-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87HM
IE45

Ars poetica 1845

Horatius Flacous, Quintus.
...Epistola ad Pisones, edidit et annotatione illustravit P. Hofman Peerlkamp. Leidae, apud H.W. Hazenberg, 1845.
234 p. 22½ cm.

37285

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 1/

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 1-10-92 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87HM IE45

Columbia University
in the City of New York
Library

GIVEN BY

Dr. Henry Drisler.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLA

AD PISONES.

EDIDIT ET ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

P. HOFMAN PEERLKAMP.

LEIDAE
APUD H. W. HAZENBERG & SOCIOS.
MDCCCXLV.

EX TYPOGRAPHEO H. R. DE BREUK.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLA

AD PISONES.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere plumas

Et varias inducere plumas. Sic in omnibus editionibus fertur; scriptique astipulantur, uno excepto. Videamus locum integrum: *Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit, et varias inducere* plumas *Undique collatis membris, ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.* Ubi vereor, ne illud *varias inducere plumas* aliud prorsus Latinis auribus sonet, quam vulgus interpretum opinatur. Plerique enim sic accipiunt: *Si pictor quis capiti mulieris cervicem equi* et alas volucris, *et caudam piscis velit iungere:* quae quidem sententia sic satis commode admitti posset, ni ipsa verba reluctarentur et repugnarent. Alarum quippe *pennae* sunt; plumis autem reliquae corporis partes velantur. Ovid. Met. II, 374. de Cycno transformato: *Cum vox est tenuata viro, canaeque capillos Dissimulant* plumae: *collumque a pectore longum Porrigitur: digitosque ligat iunctura rubentes:* Penna *latus vestit: tenet os sine acumine rostrum.* et XIV, 500. *Vox pariter vocisque via est tenuata, comaeque In* plumas *abeunt:* plumis *nova colla teguntur, Pectoraque et tergum: maiores brachia* pennas *Accipiunt; cubitique leves sinuantur in alas.* Ergo *inducere plumas membris* perinde erit, ac *ipsum caput, cervicem, caudam, et*

24 Dec 97

SEP 29 1897

287419

Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne;

cetera membra undique collata plumis obducere et tegere: id enim est *inducere.* Ovid. Met. X, 271. *et pandis* inductae *cornibus aurum Conciderant ictae nivea cervice iuvencae.* et IX, 391. *sine nomine vestro Contegat* inductus *morientia lumina cortex.* Iam vero illud omnia portenta et omnium aegrorum somnia longe exsuperet, si *mulieris* facies, si *equi* cervix, si cauda *pistricis* plumis vestiantur. Vestram fidem, pictores; ubi terrarum, in qua usquam pergula tam prodigiosa tabula prostabat? Ipse vero poeta, si quid sapio, non levius existimationis discrimen subit, qui tam absurda fingere voluit, quam ille, si quis est, qui velit pingere. Quî, malum, *formosa superne* mulier, cui caput et tota facies plumis obducta erat? Elegans sane formarum spectator, dignusque cui talis Glycera vel Inachia cum plumeis genis de nocte veniat. Unde porro sciet spectator, *piscem* esse in tabula, si non squamis, sed plumis totus obtegatur? Quî divinabit atrum esse *piscem*, cui *variae* et diversis coloribus *plumae* inductae sunt? Id enim, ne nescias, *variae plumae* tibi significabunt. Propertius III, 11. *Aut* variam *plumae versicoloris avem.* Plinius Hist. X, 38. *Meleagrides Africae, hoc est, gallinarum genus, gibberum*, variis sparsum plumis. Varro de Re Rust. III, 9. *Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae.* Tot, ut vides absurda, tot incredibilia, vel Isiacis pictoribus abneganda, vulgatam lectionem sequuntur. Levius quidem peccat Codicis Regii scriptura, qui clare et sine litura exhibet: *varias inducere pennas:* sed nec haec sagaci lectori fucum facere poterit. Cur enim *varias* obsecro? Non satis monstrosum erat, si unius cuius vis coloris *pennae* sive alae appingerentur? Quis ferat in ipsis ineptiis tam ineptam et putidam diligentiam? Numquam, mihi crede, sic desipuit Horatius; etsi iam olim in eius libris haec menda inoleverit: sic enim hunc locum citat Joannes Sarisberiensis Polic. II, 8. *Disiuncta*, inquit, *coniungit, ut si Humano capiti cervicem iungat equinam, varias inducens undique* plumas, *ut iuxta Poetam, turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.* Ubi *plumas* habet et Codex scriptus Cantabrigiensis. Enimvero, cui fama et salus Venusini nostri cordi erit, sic, opinor, mecum non invitus reponet: *Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit, et varias inducere formas Undique collatis membris, ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.* Levis est in recepta scriptura aberratio; quam si somniculosis librariis imputabis, cetera tibi praestare possum. Omnia enim quaecumque non stulte fingere velis, in se continet haec nostra lectio; et plura utique, quam vulgatum illud *plumas* vel *pennas.* Quippe ex *variis formis* et *alas* si vis, et pedes et dorsum et ventrem adiungere poteris; ut omnes Scyllas et Chimaeras varietate naturarum facile antecellat. Si quis, inquit, humano capiti cervicem equinam addat, et sic porro varias formas inducat membris undique collatis, ita ut in piscem desinat, quae capite mulier erat. Recte autem *inducere formas membris*, ut Ovidius Met. VII, 624. de Formicis in homines mutatis: *Et maciem numerumque pedum nigrumque colorem Ponere, et humanam* membris inducere formam. Sic *inducere faciem*, Met. IV, 374. *Vota suos habuere deos, nam mixta duorum Corpora iunguntur;* faciesque inducitur *illis Una.* Sic et *trahere formas*, Prudent. Apotheos. 1037. *omnia iussu Imperitante novas* traxerunt *edita* formas. *Varias* autem *formas*, ut Idem Hamartig. 291. *Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis Inludant* varias *distincto stamine* formas: Ovid. Met. XI, 613. de Somno Deo: *Hunc circa passim* varias *imitantia* formas *Somnia vana iacent:* XV, 137. *animam sic semper eandem Esse, sed in* varias *doceo migrare* figuras: et in Ibide: *Utque pater solitae* varias *mutare* figuras. Porro Quintilianus VIII, 3. *Vitium est*, inquit, *si quis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de Arte Poetica fingit, Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit, et cetera ex diversis naturis subiiciat.* Adverte animum, ut *diversis naturis* dicat: magnum utique argumentum, non aliter eum olim legisse, quam nos hodie emendamus: si quidem perinde id est, ac si dixisset, *Et cetera ex variis formis subiiciat.* Ipse denique Flaccus, cum apodosin seu redditionem sententiae facit v. 8, *cuius vanae*, inquit, *fingentur species, ut nec pes nec caput* uni *Reddatur* formae. Utique cum in posteriore orationis *κώλῳ uni* dicit *formae;* vix aliter in priore membro dicere potuit, quam *varias formas.* Ceterum in versu tertio pro *atrum piscem* Gronovius pater Observ. I, 18, et Nicol. Heinsius in Codicis sui margine sic potius legendum suspicantur: *ut turpiter atram Desinat in* pristim *mulier formosa superne.* Quippe ita Virgilius et Claudianus de Tritone; ille Aen. X, 211; hic de Nuptiis Honorii v. 147. *cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus. Hispida tendebat bifido vestigia cornu, Qua pristis commissa viro.* Verum cum eodem pacto decem amplius aliorum poetarum loca contra fidem codicum immutanda sint, melius est manum abstinere; de quo consule, cum vacas, disertissimum

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Credite, Pisones, isti tabulae fore librum

Broukhusium ad Tibullum I, 5. BENTLEIVS.

Equidem hanc Bentleii coniecturam laudare non possum. Discrimen inter *plumas* et *pennas* ipsi veteres non semper observarunt, sed alterum saepe pro altero posuerunt, ubi de accurata avium descriptione non agitur. Ita Ovidius in Metamorphosi cycnea non distinguere non potuit. Sic Columella de Re Rust. VIII, 2. *Gallinae sint rubicundae vel fuscae plumae, nigrisque pennis.* Sed cum Phaedrus Fab. I, 12, dicit: *O qui tuarum corve pennarum est nitor;* dicere etiam potuisset *plumarum*, quia *nitor*, si verum quaeris, non est in *pennis* sed in *plumis*. Quoniam vero *nitor* magis in plumis, per pennas explicatis, elucet, ingeniose *pennarum* praetulit. Quod multi interpretes Horatii *plumas* pro *alis* accepere, hoc nihil ad vulgatam lectionem mutandam valere debet. *Inducere aliquid rei* significat *aliquid ducere in rem*, ita ut illud *inductum* arctissime cum re cohaereat. Idem est *perducere*, proprie *ducere aliquid per rem*. Latine dicimus, ut Ovidii eodem exemplo utar, *iuvencae inductae aurum cornibus*, et *inductae cornua auro; aurum cornibus inductum*, et *cornua auro inducta:* quod non cogitabat Heinsius ad Ovidii Fast. III, 759. *limumque inducere monstrat. Hic paret monitis, et linit ora luto.* Heinsius malebat *limoque.* Utrumque recte. Et Horatius scribere potuisset: *variis inducere plumis membra undique collata:* ut Ovid. Metam. IV, 408. *tenuique inducit brachia penna.* Horatius nominavit *caput*, *cervicem*, et extremam partem, in quam monstrum illud desinit, *piscem*, hoc est caudam piscis. Quae inter caput cervicem et caudam media sunt, humeros, brachia, pectus, alvum, crura, ea non nominavit, sed communi *membrorum* nomine complexus est. Haec membra erant *undique collata*, sicuti *caput* sumtum erat ex corpore formosae mulieris, cervix ex equa, extrema pars ex pisce. Quare nec caput, nec cervix, nec pedes monstri *membris* istis undique collatis continentur. Praeterea *caput*, si cum *membris* coniunctum legitur, probe a membris distinguitur, et dubito an Latine dicatur: *caput est nobilissimum humani corporis membrum*, pro *nobilissima pars.* Sic apud Ovid. Metam. III, 720. Bacchae furentes Pentheo abstulere *dextram* et *sinistram*, et *brachia:* Pentheus ostendit *dissectis corpora membris;* tum mater Pentheo *caput avulsit.* Quare *facies mulieris*, cervix et cauda non vestiuntur plumis, sed *membra*, in medio posita, vestiuntur. Sed vestiantur. Tabula iam nunc adeo prodigiosa est et stulta, ut aliquid paullo magis prodigiosum et stultum offendere non possit. Caput et tota facies, *plumis obducta*, non esse potest formosa. Cervicem equinam tamen et caudam spectator ex ipsa figura cognoscet, etiam si tota cauda (nam de toto *pisce* non agitur) non squamis, sed plumis sit obducta. *Varias plumas* esse plumas *diversis coloribus*, erat notum, idque iam veteres Scholiastae annotarant. Quod in Codice Regio scribitur *pennas*, hoc non necessario *alas* significat. Alterum, ut vidimus, saepe pro altero ponitur, et Scholiastae ad explicandum *plumas* utuntur *pennis.* Quodsi pro *plumis* scribas *formas*, efficies aliquid, quod rei propositae repugnat. *Forma* hic est aliquid integrum et totum, licet ex partibus diversis, ridicule mixtis, composita. Una forma, unum corpus, una species, una imago in ista tabula pingitur. *Forma mulieris*, et equi, et piscis, est *tota mulier*, equus, piscis. Pictor suam istam formam conflavit ex formis mulieris, equi, piscis, ex iis partes et membra sumsit. Hae partes haec membra non ipsae sunt *formae.* Et quomodo pictor *varias formas inducat membris* undique collatis? Finge eum capiti humano et cervici equinae subiunxisse humeros tauri, manus simiae. *Humeri et manus* ipsa sunt membra tauri et simiae: itaque *membra inducit illa suae formae*, non *formas inducit membris:* de mutata autem illa constructionis ratione, ut *cornua auro inducta* et *aurum cornibus inductum*, quam supra attigi, hic non cogitatur. Ovidius ostendet, quod volo. Hic Metam. VII, 641, scribit formicas — *maciem numerumque pedum nigrumque colorem Ponere*, *et humanam membris inducere formam.* Ibi *una* est hominis *forma*, ut *variae formae* et *variae figurae* sunt plures, diversae, quas diversa animalia, suam sibi quodque peculiarem ac propriam, habent. Quod Quintilianus locum Horatii respiciens, dixit: *Humano capiti cervicem pictor Iungere si velit, et cetera ex diversis naturis subiiciat;* magnum argumentum est, eum legisse non *formas*, sed *plumas:* nam ex *diversis naturis* significat *ex animalibus diversae naturae*, *ex membris undique collatis*, *ex diversis formis.* Quod ad apodosin attinet in versu 8, quamquam ea verba mihi non suo loco esse posita, sed a librariis eo traducta videntur, faciamus Horatium ita scripsisse; non tamen hinc sequitur, quod Bentleius putabat. Quum enim in posteriore orationis membro *uni* dicit *formae*, vix aliter in priore membro dicere potuit, quam *variam formam.* Variae *formae* postulant in apodosi *non unas formas.* Apposita ad hanc nostram disputationem sunt verba Quintiliani Instit. Orat. IV, 2, 77: *ut Ovidius lascivire in Metamorphosesi solet, quem tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem.* Accommoda haec verba ad picturam et *res diversissimae* erunt *membra undique collata; species unius corporis* autem erit *una forma.* Denique Prudentius contra Symmachum II, 57, *plumis* vidit. *Desi-*

Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae

Fingentur species; ut nec pes, nec caput uni

ne, si pudor est, gentilis ineptia, tandem Res incorporeas simulatis fingere membris: Desine terga hominis plumis obducere: frustra Fertur avis mulier, magnusque eadem dea vultur. Atque haec sunt, cur Bentleianum *formas* non laudem. Neque laudabat Wyttenbachius, qui olim auditoribus suis in Athenaeo Amstelodamensi hanc Epistolam docte et eleganter interpretatus est. Dictatorum exemplum ab amico meo et collega, Cl. Mahnio, accepi. Ceterum *atram pristim* equidem alteri *atrum piscem* longe praefero. Horatius animalia, ex quibus pictor desumsit partes, specialiter non generaliter designat: sunt *mulier*, et *equa*, quibus adeo melius convenit speciale *pristis*, quam generale *piscis*. Epitheton autem *ater* rectius intelligitur additum *pristi*, quam *pisci*. In eo epitheto explicando iam vetusti laborasse videntur Scholiastae. Commentator: *atrum, magnum.* Neque *pristis* iis ignota lectio fuit. Acron: *piscem, belluam marinam, i. e. pistricem.* Neque parum apud me valent duo exempla Virgiliana, quae Horatium esse imitatum eo minus dubito, quia eum et in aliis aliarum Epistolarum locis Aeneidem, recens, credo, tum editam, respexisse cognovi. Virgilius igitur Aeneid. III, 426. *Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo Pube tenus: postrema immani corpore pistrix, Delphinum caudas utero commissa luporum.* Idem Aeneid. X, 211. Triton — *cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus.* Nota in priore exemplo et diversas naturas et illud *hominis facies* et *virgo*, ut in Horatio *humanum caput* et *mulier formosa superne:* ex *caudis delphinum* quoque intelligimus, cur *pristis* ab Horatio appelletur *atra*. Caudam enim illius piscis significari apparet ex eo, quod mulierem in *pristin desinere* dicit.

Ut nec pes, nec caput uni Reddatur formae. Horatius librum, cuius vanae species, tamquam aegri somnia, finguntur, comparat cum ridicula illa imagine, cuius summa pars nec mediae parti nec infimae respondet, quaeque a capite ad pedes sibi non constat. Iam eadem, quamquam verbis paullo mutatis, quae de imagine dicuntur, dicuntur de libro. Pictura illa est imago, qualis in rerum natura non exstat, liber est imago, qualis in rerum natura non exstat. Quanto rectius et *pes* et *caput* libro demta, ad imaginem supra depictam referentur! Vide sequentem verborum et rerum ordinem: *Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit, et varias inducere plumas Undique collatis membris; ut nec caput uni Nec pes reddatur formae, sed turpiter atram Desinat in pristim mulier formosa superne.* Oratio, ni fallor, et ipsa est concinnior, varietas in comparatione maior, intelligentia facilior. Si quis, inquit poeta, pingat caput

Reddatur formae. Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vicissim;
Sed non ut placidis coeant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque, et magna professis,
Purpureus, late qui splendeat, unus, et alter
Assuitur pannus; quum lucus, et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum

muliebre, capiti iungat cervicem equae, tum cetera membra plumis vestiat, ea, quae ex diversis animalibus contulit; adeo ut, sicuti nec caput aliis partibus, ita nec pes capiti aliisque partibus conveniat, sed tota imago inde a capite ad pedes sui sit dissimilis, quis risum teneat? De *libro, vanae species* sufficiunt, quia in sequentibus multa ad explicandas librorum ineptias explicat: eoque magis sufficiunt, quia *vanae species* istae, cum *aegrorum somniis* coniunctae, unum atque idem paene significant. Seneca de Const. Sapientis XI. *Illa, quidquid huiusmodi est, transcurrit, ut vanas somniorum species visusque nocturnos, nihil habentes solidi, neque veri.*

Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Quidlibet non verum est. Si potestas est *quidlibet* audendi, etiam est talis formae fingendae, qualem Horatius finxit. Horatius hanc veniam concedere non potuit. Concedit, sed cum exceptione, ne coeant immitia placidis; neque agni iungantur tigribus. Vetus dictum est, ut apparet ex Luciano pro Imag. T. II. edit. Graev. p. 28. *ταῦτα σοι ἔκμετρα ἔδοξε, καὶ ὑπὲρ τὸν πόδα. περὶ αὐτῶν δὴ τούτων ἐρῶ· καίτοι παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος ἀνεψθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας.* atque in Horatio ferrem *quidlibet*, nisi sequeretur responsum, se et dare et petere vicissim hanc veniam: nunc pro QVIDLIBET omnino scribendum iudico SCILICET. Eleganter *scilicet* dicit is, qui Horatium refutat. Cur talem formam adeo reprehendis? Poëtis nempe et pictoribus semper aliquid audere licuit. *Audere* sine addito substantivo exquisitum est. Virgil. Aeneid. X, 284. *Audentes fortuna iuvat.* Quintil. Instit. Orat. VIII, 3. *audendum ita-*

Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quod vis, simplex dumtaxat et unum.

que. Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Ita *aliquid audere*, de quo Burm. ad Anthol. Lat. T. I. pag. 180.

Quid hoc, si fractis enatat exspes Navibus, aere dato qui pingitur? Ego rectam sententiam, quae his verbis tribui possit, non perspicio. Quid enim significant? Fortasse artem cupressi eleganter pingendae probe tenes. Sed quid ea ars tibi prodest, si ille, qui pecuniam tibi dedit, ut pingatur, est naufragus, et, omni spe ademta, periculum nando evadit! In hac enuntiatione duae res sunt reprehendendae; altera, quod obscurius indicatur, naufragum dedisse pecuniam ut in figura naufragi et sine spe nantis pingatur; altera, quod *exspes* et *enatat* sunt contraria. Nam qui *enatat*, salvus est, in tutum venit. Et talis imago minus apta erat ad excitandam misericordiam: portabant enim naufragi tabulas suas et stipem rogabant. Vide exemplum auctoris ad Herenn. IV, 44. *Ex naufragio patriae salvus nemo potest enatare.* Cicero Tusc. Quaest. V, 31. *Reliqui se videntur habere angustius: enatant tamen.* Horatium scripsisse coniicio: *Quid hoc, si, ut fractis innatet exspes Navibus aere dato quis pingitur.* Si quis se ita pingendum curat, ut in tabula conspiciatur innatans in fragmentis ruptae navis. *Pingitur* est. γράφεται, vi media: *naves fractae*, sunt lacera membra navis, ναυάγιον. Recte posuit pluralem, quia in *nave fracta* multae partes, hic illic fluitantes, cogitantur. Apud Persium Satyr. I, 88, est locus Horatiano simillimus: *Men' moveat, quippe, et cantet si naufragus, assem Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes:* nam *pingitur ut natet in fractis navibus*, et *pictus est in trabe fracta*, nihil omnino differunt. Idem Satyr. VI, 27. *trabe rupta, Bruttia saxa Prendit amicus inops; remque omnem, surdaque vota Condidit Ionio: iacet ipse in litore, et una Ingentes de puppe Dei. —— Largire inopi, ne pictus oberret Coerulea in tabula:* hoc est; ne oberret, stipem rogans et picturam ostendens, in qua est imago haerentis in tabula, in fragmine navigii. In verbis Persii *remque omnem surdaque vota condidit Ionio*, etiam praesidium est Horatiano *exspes*, pro quo nonnulli, quod in MSS. corruptum legitur *expes*, acceperunt.

Denique sit, quod vis, simplex dumtaxat et unum. Ubi *quod vis* interpretantur, *quod instituis, quod componis.* Recte: sed et friget ea lectio, et in ambiguitatem incidit,

Maxima pars vatum, pater, et iuvenes patre digni,
Decipimur specie recti: brevis esse laboro;
Obscurus fio: sectantem levia nervi

et immodulatum reddit versum. Ego vero ex tribus nostris, Vig. Bat. et Moreti Codice, et ex uno Achill. Statii, certissimam tibi lectionem promo; quae vel sine ope membranarum et facile inveniri poterat, et admitti merebatur: *amphora coepit Institui, currente rota cur urceus exit? Denique sit QVIDVIS, simplex dumtaxat et unum.* Pergit in similitudine: amphoram incepisti, cur non amphora exit; sed partim amphora, partim urcens? denique *quidvis* sit, amphora vel urceus, vel obba vel cadus, vel dolium; modo unum sit et simplex. BENTLEIVS.

Quomodo iam veteres hunc locum acceperint, optime apparebit ex Scholio Commentatoris Cruquiani: *quamcunque materiam vis, assume; ita tamen ut continuum carmen componas, nec intermisceas res diversas, sed simplex sit carmen; id est, coeptae materiae et nondum finitae non debes aliam iungere per compilationem, sed tenorem coeptum sine interruptione servare.* Atque ista interpretatio plane respondet verbis Horatianis: *denique, quod vis, sit simplex dumtaxat et unum.* Quid in ea lectione sit frigidi, quid ambigui, non video, neque illud immodulatum sentio. Sit autem aliquid minus sonorum; Horatius in Epistolis et Sermonibus suavitati metricae adeo non studuit, ut eam potius prudens neglexisse videatur, quo et Epistolae et Sermones prosae orationi etiam in metro essent similiores, sicuti in dictione sunt simillimi. Horatius non pergit in similitudine, sed longum praeceptum hoc versu, quo summa totius continetur, absolvit. Multa praecessere. Post multa recte subiungitur *denique*, hoc est, *ut rem in pauca contraham, ut verbo dicam.* Iam mihi considera an ista bene Latine concipiantur: *cur partim amphora, partim urceus exit? denique quidvis sit, modo sit unum.* Bentleius ipse sensit plura prius requiri, quam eorum enumeratio per vocabulum *denique* finiatur: propterea in explicatione addidit *obbam, cadum* et *dolium.* Tum illud *quidvis* obscurum iudico, eiusque significationem tandem redire eodem, quo redit *quod vis.* Horatius hoc potius sic extulisset: sit amphora, sit urceus, sit, quodcunque velis, sit quidvis aliud, laudabo, si modo sit simplex et unum. In hac enim sententia *laudabo, placere potest*, vel simile, deesse non potest; non magis, quam in *simplex dumtaxat et unum* deesse potest verbum *sit.*

Sectantem levia nervi Deficiunt animique. Codex Achillis Statii, mutata literula, *sectantem lenia nervi Deficiunt animique.* Utram

Deficiunt, animique; professus grandia turget;

iam utri praeferemus? quippe haud minus sensu quam scriptura altera alteri propinqua est. *Levia carmina* Terentianus Maurus p. 2419. *Creticus in nostris, si levia carmina pangas, Raro invenitur: qualis hic Maronis est*, Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno: *Creticus offendit pes primus, et asperat aures.* Ita quidem editiones: sed ne ex adiunctis quidem sciveris, *levi*ane an *lenia* dederit auctor: cum asperum apud Latinos et *levi* et *leni* opponatur. Terent. Heaut. III, 1, 49. *asperum, Pater, hoc est: aliud lenius, sodes, vide.* Lucretius V, 1379. *At liquidas avium voces imitarier ore Ante fuit multo, quam levia carmina cantu Concelebrare homines possent auresque iuvare.* Propertius I, 9. *Plus in amore valet Mimnermi versus Homero: Carmina mansuetus lenia quaerit amor.* Verum utrobique turbant Codices nonnulli, illic *lenia*, hic *levia* exhibentes; ut ad neutram partem haec loca facere queant. Favet illud magis, quod eadem metaphora Graeci Rhetores τὸ γλαφυρὸν et τὸ λεῖον, cui τὸ τραχὺ contra statuunt, saepe praedicent; nam λεῖον utique *leve* est, non *lene*. Latinos tamen in hac sententia *lene* et *lenitatem* passim alias maluisse pro comperto mox habebis: in hoc vero Horatii loco *lenia* omnino legendum esse vel oppositionis ratio clare evincet, *sectantem lenia nervi Deficiunt animique.* Ubi vides in orationis genere *lene* opponi *nervoso:* recte hoc; at ineptus sit, qui τῷ *levi nervosum* opposuerit. Cicero in Bruto cap. 48 de C. Julio: *Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem Tragoediis, lenitas eius sine nervis conspici potest.* Noster Serm. II. 1. *Sunt quibus in Satira videar nimis acer, et ultra Legem intendere opus: sine nervis altera, quidquid Composui, pars esse putat.* Vides τὸ *acre* hic opponi τῷ *sine nervis;* atqui *acre* est contrarium *leni* non *levi*. Cicero in Bruto cap. 25. *Hoc in oratore Latino primum mihi videtur lenitas illa apparuisse Graecorum.* Ibidem cap. 44. *Multa in ea oratione graviter, multa leniter; multa aspere, multa facete dicta sunt.* In Oratore cap. 6. *Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi.* Ibidem cap. 28. *Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere.* Ibid. cap. 30. *Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius.* Ibid. cap. 31. *Demosthenes nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini et splendore verborum.* De optimo genere Orat. cap. 2. *Sed et verborum et structura quaedam duas res efficiens, numerum et lenitatem.* De Legibus I, 4. *Ut iam oratio tua non multum a Philosophorum lenitate absit.* Ad Herennium I, 7. *In exordienda caussa servandam est, ut lenis sit sermo, et usitata verborum consuetudo.* De Oratore II, 15. *Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est.* Ibid. cap. 29. *Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat.* Ubi vides *vim*, similiter ac *nervos lenitati* opponi. Caesar de Terentio: *Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis, Comica ut aequato virtus polleret honore Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres.* Sic distingue, ut sit *virtus Comica*, non *vis Comica;* de qua, quae et qualis sit, frustra quaesiverunt viri eruditi. Quintilianus IX, 4. *In Herodoto vero, cum omnia leniter fluant, tum ipsa dialectus habet eam iucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur.* Ibidem: *Haec enim lenis et fluens contextus decet.* Iterum: *Lenia spatium, sublimia et ornata claritatem quoque vocum poscunt.* Et mox: *Quo minus id mirum in pedibus orationis; cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere.* Et rursus: *Aspera contra Iambis maxime concitantur, non solum quod sunt e duabus syllabis, eoque frequentiorem quasi pulsum habent, quae res lenitati contraria est.* Et denique: *Et certe nullum verbum aptum atque idoneum praetermittemus gratia lenitatis.* Idem X, 5. *Quosdam elatior ingenii vis et magis concita et plena spiritus capit: sunt et lenis et nitidi et compositi generis non pauci amatores.* Et X, 2. *Etiam hoc solet incommodi accidere his, qui se uni alicui generi dediderunt: ut si asperitas his placuit alicuius, hanc etiam in leni et remisso caussarum genere rem exuant.* Et mox: *Sintque alia leniter, alia aspere; alia concitate, alia remisse; alia docendi, alia movendi gratia dicenda.* Idem XII, 10. *Nam et subtili plenius aliquid atque subtilius, et vehementi remissius atque vehementius invenitur: ut illud lene aut ascendit ad fortiora aut ad tenuiora submittitur.* Seneca Epist. LXVI. *Compositio virilis et sancta; nihilominus interveniebat dulce illud et loco lene.* Epist. C. *Est decor proprius orationi, leniter lapsae.* CXV. *Apta verbà contexta, et oratio fluens leniter.* Seneca Controvers. III, 19. *Compositio quoque Calvi in actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia et citata et fluctuantia, hic tamen in epilogo, non tantum leviter componit, sed et infracte.* Appuleius in Apologia: *Ut in illa oratione neque Cato gravitatem requirat, neque Laelius lenitatem, neque*

Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae.

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,

Gracchus impetum, nec Caesar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parsimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero. Quid ergo? Satis iam opinior superque fidem fecimus, non *levia*, verum *lenia* deinceps hic reponendum esse; si sapere tandem audebunt editores. BENTLEIVS.

Verissime Brittannus correxit *lenia*. Atque omnis ea disputatio absolvi potest, si ita statuimus: *leve* dicitur de structura et compositione verborum, et ad numeros orationis pertinet, *lene* dicitur de ipsa orationis natura, loquendi genere. Horatius hic non agit de structura verborum, sed de interna orationis forma. Decipimur specie recti. Brevis fit obscurus, grandis fit turgidus, cautior fit humilis, varietatis studiosior fit ineptus. Cum istis non convenit *levitas in structura verborum, molle et tenerum in ambitu et compositione.* Verum hoc esse utriusque vocabuli discrimen, ex plurimis scriptorum locis apparet, ubi vel *lene* vel *leve* auctoritate omnium Codicum confirmatur. Ad eam igitur normam loca nonnulla, ubi pro *lene* scriptum invenitur *leve* et contra, emendentur. L. Santenius ad Terentianum Maurum v. 1652 diligentissime de utroque vocabulo exposuit, et ingentem exemplorum copiam collegit. Hic recte contra Bentleium contendit *leve* et *levitatem*, cum vel de orationis compositione vel coagmentatione vel de singulis etiam verbis et literis agitur, opponi *aspero* et *scabro*, ut λεῖον et λειότητα τῇ τραχύτητι: idem minus recte pag. 242 contendit Bentleianam emendationem non adeo esse certam, quia *levitas* et quaelibet nitoris cura gravitatem et vim orationis non minus emollit et enervat, quam *lenitas*. Primum, ut dixi, Horatius non loquitur de externo orationis nitore; non erat hoc illius consilium, minime in hoc loco: deinde oratio, intus gravis et vehemens et nervosa, et molliore compositione investita, fit suavior, levior, vim et gravitatem non amittit. Da Thucydidi aliquid ex compositione Xenophontea, Demostheni Isocratea, τραχύτης illa et δεινότης temperabitur, ut equidem arbitror, non, si, quantum fieri possit, ipsa verba serves, *enervabitur* nec tolletur, si modo asperitas maneat, ubi res exigit, et τὸ τοῦ πάθους ἀποτραχυνόμενον requiritur. Sed Horatius de oratione ligata non de soluta praecipit. *Levitas* carminum in numeris, metro inclusis, cernitur. Ipse asperum et illud scabrum veterum poëtarum non laudabat, et numeros Plautinos a proavis stulte laudatos arbitrabatur, ille, qui legitimum sonum digitis et aure callebat. Iam suo ipse exemplo ostendit, *levitatem* antiquae *asperitati* esse praeferendam, neque versuum ipsorum gravitatem ita ab asperiore sono pendere, ut iidem non esse possint nervosi simul et canori. Recita illa

Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.

Carm. IV, II, *Multa Dircaeum levat aura cycnum, Tendit, Antoni, quoties in altos Nubium tractus. ego apis Matinae More modoque Grata carpentis thyma* —— Quid nervosius et animosius fingi possit quam illa priora *Multa Dircaeum?* Et tamen in numeris summa *levitas* apparet. Paullo asperius est *ego apis:* in his autem nihil nervosi, animosi nihil, quod ad sententiam, conspicitur. Compara cum Horatianis Sapphicum Catulli Carm. XI. *Nec meum respectet, ut ante, amorem, Qui illius culpa cecidit; velut prati Ultimi flos, praetereunte postquam Tactus aratro est.* Horatius in re grandi sequitur *levia*, Catullus in re tenui *aspera. Levitas* Horatiana non minuit gravitatem, *asperitas* Catulliana tenuitatem non extollit. Illustriora quaedam apud optimos scriptores inveniuntur exempla, in quibus asperitas soni ad asperitatem rei accommodatur, quaeque propterea a magistris, qui de arte scripserunt, citantur; sed ea sunt rara. Nam si poetae ubique facerent, esset affectatum.

Serpit humi tutus nimium timidusque procellae. Tutus mihi corruptum esse videtur. Interpretes explicant *prudens.* Nemo, quantum novi, vel ostendit, quomodo *tutus* significare potuerit *prudens*, vel iusta auctoritate confirmavit. Veteres Scholiastae aliquid dixerunt. Acron: *qui se tueri vult;* Commentator: *qui sibi vult esse tutum.* Sunt, qui nobis hic Lexica monstrent, et inprimis nobilissimos Lexici auctores Facciolatum et Forcellinum. Quasi vero lexicographi falli non possint, iisque, tamquam Dictatoribus, unice parendum sit. Sed inspiciamus Facciolatum et Forcellinum: quid narrant? *Tutus* interdum est *cautus, prudens, sanus.* Livius IX, 32. *Celeriora, quam tutiora consilia, magis placuere ducibus.* Id. XXII, 38. *Tuta celeribus consiliis praeponere.* Ovid. Trist. III, XII, 36. *Non nisi vicinas tutus ararit aquas.* Horat. A. P. 28. *Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.* Id. Sat. II, III, 137. *Ex quo est habitus male tutae mentis Orestes. Tutum est*, prudentis et cauti est. Propert. I, XV, 42. *O nullis tutum credere blanditiis!* Cum infinitivo. Id. I, XX, 51. *His, o Galle, tuos monitis servabis amores, Formosum Nymphis credere tutus Hylan:* hoc est *cavens credere*, εὐλαβούμενος. Haec Facciolatus et Forcellinus. Sed nullum exemplum vere probat id, quod posuerunt, *tutum* significare *prudentem. Tuta consilia* sunt ea, quae tuto sequaris, quae te in tuto collocabunt, quae nullum tibi periculum ostendunt. Locus Ovidii integer apponi debet ut intelligatur: Si navita, inquit, huc, Tomos, veniat, rogabo unde venerit: *Ille quidem mirum ni de regione propinqua Non nisi vicinas tutus ararit aquas. Rarus ab Italia tantum mare navita transit:* hoc

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.

est; rogabo unde venerit. Sed non ex Italia venerit, verum ex propinquo loco, et sic *tutus*, quia mare cognoscit, navigavit, quod non tutum est ab Italia venientibus. Orestes *mentis male tutae* est Orestes identidem in furorem incidens, qui eum facit aliis periculosum. Orestes tunc non est *tutus*, ut dicimus *loca non tuta sunt*. *Non tutum* est credere blanditiis, significat idem quod *periculosum est;* sicuti Phaedrus dicit: *Periculosum est credere et non credere.* Restat unicus Propertii locus: qui si ita a Propertio esset scriptus, et eam, quam multi tribuerunt, haberet sententiam *cavens εὐλαβούμενος*, nihil in Horatio tentare deberemus, quia *tutus timidusque procellae* esset *cavens et timens procellam.* Sed *tutus* tantum legitur in uno MS. Propertiano Scaligeri, in plurimis autem vel *visus* vel *iussus*, unde alii aliter coniecerunt, et Lachmannus coniecit *fisus*, et, quod fortasse optimum, Marklandus, mutata distinctione, coniunxit *servabis credere*, hoc est *cavebis credere.* Apparet, ni fallor, talia exempla nihil valere ad explicandum illud nostrum *tutus nimium timidusque procellae.* Bentleius quidem ad Horat. Serm. II, I, 55, eandem opinionem sequitur, a Scholiastis iam disseminatam, *tutum* significare eum *qui tutus esse cupit* et laborat, sed nihil praeter versum ex Arte Poetica, affert. *Tutus* significat eum qui revera *tutus est*, non qui *esse vult.* Hoc tamen requiritur, sicuti in omnibus Horatianis, quae antecedunt, *studium, voluntas et iudicium* cernuntur, *laboro, sector, profiteor, timeo.* Quapropter, pro: *Serpit humi* TVTVS *nimium timidusque procellae*, omnino scribendum existimo: *Serpit humi* CAVTVS *nimium timidusque procellae.* Recte sequuntur *nimium cautus et timidus*, quia ex nimia cautione oritur *timor.* Ut unicuique virtuti vicinum aliquod vitium reperitur, ita *prudentia et metus* sunt vicina. Livius XXII, 12. *Pro cunctatore segnem, et cauto timidum compellabat.* Idem XXII, 39. *Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent.* Ut alia mittam, quae apud historicos et oratores similia inveniuntur in eam sententiam, cuius antiquissimus auctor cognitus est Thucydides III, 82. *τολμὰ μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη. μέλλησις δὲ προμηθὴς, δειλία εὐπρεπής.* Iam cum loco Horatiano, a me emendato, comparanda sunt haec Quintiliani Instit. Orat. VIII, 2. *Huic quibusdam contrarium studium, fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes, nisi planum et humile et sine conatu. Ita, dum timent ne aliquando cadant, semper iacent.* Et Longinus de Sublim. § 33. *τὰς μὲν ταπεινὰς καὶ μέσας φύσεις, διὰ τὸ μηδαμῆ παρακινδυνεύειν, μηδὲ ἐφίε-*

Aemilium circa ludum faber, unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos;

σθαι τῶν ἄκρων, ἀναμαρτήτους ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἀσφαλεστέρας διαμένειν. Denique CAVTVS et TVTVS, ut literarum ductus haud ita dissimiles habent, ita in MSS. sunt confusa. Exemplum praebet MS. Vossianum in Ovid. Pont. III, XII, 36.

Aemilium circa ludum faber, unus et ungues Exprimet. Crucem interpretibus fixit sceleratus ille *faber imus:* ita in omnes partes se vertunt, in caussa vel nominis vel epitheti exquirenda. *Imum*, inquit Porphyrion, *hoc est, in angulo ludi tabernam habentem.* Acron nomen proprium hic accepit; quod et in membranis saepe inter lineas adnotatum vidi: *alii tamen*, inquit, *dicunt* imum, *brevem; alii in extrema parte ludi positum.* Extra hos cancellos egredi non audent recentiores: nec id mirum; cum neque de homine neque de angulo illo ludi nunc quicquam amplius datur resciscere. Tu vero, contemtis his naeniis, sic veram et veterem lectionem huc revoca minima mutatione: *Aemilium circa ludum faber, unus et ungues Exprimet, et molles imitabitur aere capillos, Infelix operis summa. Unus omnium optime* capillos et ungues exprimet, cetera vero membra et totam adeo statuam ponere non poterit. Quid clarius certiusve? Eleganter illud *unus* sic poni solet. Noster Serm. I, X, 42. *Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta Eludente senem comis garrire libellos, Unus vivorum, Fundani.* Sermon. II, III, 24. *Hortos egregiasque domos mercarier unus Cum lucro noram.* Epod. XII. *Namque sagacius unus odoror.* Nepos in Cimone: *Cum unus omnium in civitate maxime floreret.* Virgil. Aen. II, 426. *cadit et Ripheus, iustissimus unus Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi.* Ubi recte Servius: *Unus, non solus, sed praecipuus.* Ergo faber iste omnium optime, praecipue, unice ungues et crines exprimebat, in ceteris deficiebat. Tolle vero vocabulum *unus;* et sententiam ipsam una opera sustuleris. Quid enim est *exprimet ungues?* Qui scias ex isto, utrum affabre et eleganter, an crasse illepideque, an mediocriter expresserit? Atqui in exprimendis unguibus *praestantiam artificii* hic commemorari, vel sententiae redditio fidem facit, ubi ex adverso ponit in quibusdam corporis partibus *formae excellentiam, Spectandum nigris oculis nigroque capillo.* Ceterum *unus* clare exhibet Codex Oxoniensis, qui Digbeanus vocatur; et a prima manu, prout ex litura coniicere licet, Graevianus et Regiae Societatis. Et sic quoque locum citat Ioannes Sarisberiensis praefatione libri VI. Viderat hunc Theodorus Marcilius: *sed melius*, inquit, *imus.*

Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet: hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo;

Ita quidem: si *faber unus* idem esset ac *faber aliquis*. Sed elegantiam vocis non assecutus est. BENTLEIVS.

Ante Bentleium edebatur *imus*. Multa MSS. habent *unus*. Neque in scriptura magnum est discrimen. Videndum modo est, utrum melius sententiae conveniat. *Imus* non facile explicatur. Praeter opiniones, a Bentleio memoratas, et aliae feruntur. Ea varietas iam locum facit suspectum. Horatius certe scripsisset ambigue, contra suum ipsius praeceptum vs. 449. *Unus* sine dubio praestat, neque tamen sua caret difficultate: nam et hoc varie explicari potest, et explicatum est. Sed ratio Bentleiana sese inprimis commendat. Illud tamen teneatur. *Unus* revera significat *solus*. *Unus virorum potes*, tu *solus eorum*, qui nunc vivunt, potes: *unus novi*, *solus novi*: Ripheus *unus* in Teucris fuit iustissimus, *solus* omnes Teucros iustitia superabat. Horatius igitur dicit: In officina circa ludum Aemilium unus modo est faber, qui solus ex omnibus fabris in eadem officina artem exprimendorum crinium intelligit; vel, est faber, isque circa ludum Aemilium habitans, qui in eo genere omnes alios antecellit. Quamquam igitur *faber unus* ita accipi possit, remanet aliquid ambigui et obscuri, quod optime tolli posse arbitror si pro *Aemilium circa ludum* FABER IMVS scribatur *Aemilium circa ludum* FABRI MANVS. Corruptelae hic esse potuit cursus. FABRI-MANVS — FABRIMVS: *manus* per compendium fit *mus*. Ex *fabrimus* natum est *faber imus*, unde porro *faber unus*. Atque *unus* in pauciobus, *imus* in plerisque MSS. reperitur. *Manus* de omni artificum et artificiorum genere, praecipue de *statuariis* et *pictoribus* ponitur. Exempla hic non sunt necessaria. Videantur, quos citavit Burmann. ad Petronii Sat. cap. 38. In verbo autem *exprimet* iam cernitur artificis praestantia, magis etiam, quia sequitur, quod faber *aere imitabitur capillos molles*, non simpliciter *imitabitur capillos;* sic ea *mollities* in ipso aere reddita esse intelligitur. Pro *ungues*, in MS. membranaceo, quod Brinckmannus ex Italia viro docto in Neerlandiam misit, unde Dukerus varias lectiones excerptas editioni Basileensi addidit, scriptum erat *angues*. MS. Sermones et Epistolas tantum continebat. *Angues* quidem manifeste ab indocto librario corruptum est. Sed aliae lectiones ibidem inveniuntur a cognitis MSS. diversae. Ubi hodie sit illud Italicum, ignoro. Interpretes Horatiani non cognovisse videntur.

Quam naso vivere pravo. Restitue ex omnibus Codicibus tam nostris quam aliorum, verborum ordine mutato, *Non magis esse velim, quam naso vivere pravo.* Illud vero (*quam pravo vivere naso*), cum in editionibus priscis, utraque Veneta et Loscheriana, semel insederat, patienter nimis, ne dicam ignave, perpessi sunt interpretes. Si quidem, praeterquam quod Codices abiudicant, etiam invenustus ille trium syllabarum concursus VOVIVE pravitatem eius redarguit. BENTLEIVS.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus; et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res;

In aliis quoque MSS. quae post Bentleium innotuerunt, legitur *naso vivere pravo*. Tota autem haec Epistola ad Pisones nullum fere habet versum, in quo vocabula, inprimis adiectiva et substantiva, non sunt alio atque alio ordine posita. Atque hoc iam antiquis temporibus accidit, et accidere debuit in eo carmine, quod in scholis magistri interpretabantur, et quod saepissime describebatur. Sonus quidem in *pravo vivere* me minus offendit, quam Bentleium offendisse videtur: media in *vivere* vix auditur. Neque Schellerus in libro *de lectione veterum Scriptorum*, pag. 262, Bentleio assentitur.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo. Animum meum advertit, quod Ciofanus ad Ovidii Amor. II, IV, 42, locum Horatii sic attulit: *Spectandum nigros oculos nigrosque capillos.*

Cui lecta potenter erit res. Marklandus ad Statii Silv. IV, VIII, 24, Flaccum scripsisse putat, *cui lecta pudenter erit res*, id est modeste et ratione habita virium suarum, et *quid ferre recusent, quid valeant humeri.* Addit ex vs. 51, *dabiturque licentia sumta pudenter:* et ex Epist. I, 17. *distat, sumasne pudenter An rapias:* et Epist. I, 1. *nec meus audet Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.* Ego illud *potenter* non mutem. *Pudenter* aliquid facimus cum pudore, modeste, verecunde, dubitantes an facere valeamus. *Pudenter* convenit deliberationi: *pudenter versandum* est, quid humeri ferre possint. Hoc si quis fecerit, suasque sibi vires sufficere senserit, is rem legit *potenter*, cuius efficiendae sit *potens*. Talem neque facundia neque ordo deserent. Qui contra legit rem *pudenter*, suis viribus diffidens, quippe non satis exploratis, hic rem eam raro ad bonum exitum perducet. Exempla Horatii alia non faciunt ad confirmandum *pudenter;* atque illud *nec meus audet Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent*, quo Marklandus eximio nititur, eius opinioni plane repugnat. Horatius

Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici;
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat:
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

rem non audet tentare, quia maiorem esse viribus sensit, itaque *pudenter* recusat. *Potenter* ita fere apud Quintilianum Instit. Orat. XII, x, 72, invenitur: *ut dicat et utiliter, et ad efficiendum, quod intendit, potenter.*

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor. Graevius ad Rhetor. ad Herenn. I, 3, citat *virtus est.* Quamquam haec et alia huiuscemodi errore memoriae citentur, interdum taciti iudicii testimonium habere videntur. Quamquam nec Graevius, credo, hic futurum cum praesente mutare voluerit. Pro *aut* in variis MSS. legitur *haud*, idque nonnulli interpretes cupide arripuerunt. Sed *aut ego fallor* longe modestius affirmat quam *haud ego fallor.* Horatius in omni hac Epistola talem modestiam servat: idque recte et suaviter, qui scriberet ad Pisones, literarum amantes et peritos, morumque et vitae elegantia excellentes. Ita, postquam vs. 270 dixerat maiores Pisonum nimis patienter, imo stulte Plautum fuisse miratos, ad minuendam dicti acerbitatem statim subiecit: *si modo ego et vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto, Legitimumque sonum digitis callemus et aure.* Alterum illud *haud ego fallor* magis decet rigidum in schola magistrum, quam urbanum praeceptorem, qui circum praecordia Pisonis, filii natu maioris, ludebat, ut eum a factitandis versibus deterreret, vel, si hoc non posset, ridiculos errores vitare moneret.

Hoc amet, hoc spernat. Difficilis locus, quique integer apponi debet, ut accuratius excutiatur: *Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor, Ut iam nunc dicat; iam nunc debentia dici Pleraque differet, et praesens in tempus omittat; Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. In verbis etiam tenuis cautusque serendis, Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum.* Distinguunt plerique hodie et suspendunt orationem a versu medio, *ut iam nunc dicat:* deinde illud ordiuntur, quod cuivis magnam admirationem moveat: *Iam nunc debentia dici pleraque differat.* Enimvero si iam nunc *dici debent*, recte et ordine *iam nunc dicentur.* An iubes, ut quae in hac adnotatione iam nunc a me dici oportet, ea differam et omittam? Ergo aut tacendum mihi est, aut alia quaedam dicenda sunt, quae nunc dici non debebant. Bellum sane praeceptum, cui mihi illi cum maxime obtempe-

In verbis etiam tenuis cautusque serendis;

rare videntur, qui hunc locum tam prave enarrare sustinent. Ego vero, quam nt tam absurda et ἀσύστατα commentarer, sic potius distinguerem, quemadmodum olim Lambinus: *Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici; Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.* Servatur, inquit, rectus ordo et lucidus, si iam dicas quae locus postulat ut iam dicantur: pleraque vero, quibus scilicet in praesens locus non est, in tempus aliud et locum commodiorem differas. Atque haec ordinis fuerit quasi definitio generalis: Noster vero *virtutem* hic quandam et arcanam ordinis *venerem* indicat, reconditam scilicet gratiam et venustatem, caute nec sine periculo tentandam: inde est quod addit, *aut ego fallor.* Atqui, si Lambinum sequeris, haud verendum erat ut falleretur: imo adeo planum certumque est, ut ne praeceptione quidem opus sit. Quid igitur? Enimvero falluntur hic interpretes in tritissimis illis vocabulis *iam nunc:* quae ubi semel veniunt, praesens tempus denotant; ubi vero repetuntur, idem valent ac *interdum.* Et in simplicibus quidem *iam* et *nunc* vel pueris hoc notissimum est: Noster Serm. II, 2, et Epist. II, 1. *Qui* iam *contento*, iam *laxo fune laborat.* Nunc *athletarum studiis*, nunc *arsit equorum.* Sed et composito *iam nunc* sic utitur Persius, perpetuus Nostri imitator, Satyr. V, 110. *Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?* Iam nunc *adstringas* iam nunc *granaria laxes?* Quod ad exemplum, hunc, de quo agimus, locum interpretaberis: *Ut* iam nunc *dicat*, iam nunc *debentia dici Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.* hoc est, ut *interdum* dicat omnia, *interdum* pleraque, quae debebant dici et ad locum pertinebant, differat in aliud tempus; ne mole scilicet τῶν περιστάσεων obruatur lector, et narrationis filum amittat. Hoc si cum iudicio fiet, singularem gratiam veneremque conciliabit. Iam vero illud quorsum obsecro pertinebit? *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. Promissum* carmen est, nam et sunt qui hoc male accipiunt, quod magnam sui exspectationem movit: Iuvenal. VII, 82. *Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem Promisitque diem.* Alibi hoc appellat Noster *poema legitimum:* Epist. II, II, 109. *At qui legitimum cupiet fecisse poema.* Iam autem talis poematis auctor *Hoc*, inquit, *amet, hoc spernat.* Quaenam vero ista sunt *hoc* et *hoc?* Nam sunt qui ad praecedentia referre volunt. *Amet* igitur, si vis, iam dicere iam dici debentia; sed quid est, sodes, quod *spernat?* An spernat *pleraque differre?* Atqui id non vetuerat Noster, sed praeceperat: non ut *spernendum*, verum ut *amandum* proposuerat. Praeterea vide modo seriem et constructionem: *Ordinis virtus et venus erit, ut* auctor promissi carminis *amet hoc, spernat*

Dixeris egregie, notum si callida verbum

illud; non persentiseis illud *promissi carminis* sententiam labefactare? Quid enim? Nullus erit ordo, nulla eius norma vel ratio, nisi carmen *promissum* sit? Nimirum hic opera luditur; neque ullo pacto versiculum hunc cum prioribus possis connectere. Senserunt hoc interpretes quidam et nuper et olim: unde, inviti licet et coacti, eo demum recurrerunt, ut integrum hinc praeceptum formarent et cuderent, per se constans et a reliquis omnibus abscisum: *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Ita certe Servius ad Georg. II, 475. »*Me vero primum dulces ante omnia Musae* — suam personam pro quocunque ponit: sic paullo post: *Rura mihi placeant*, pro *cuilibet.* Sic in primo: *non illa quisquam me nocte per altum Ire.* In tertio: *Ne mihi tunc molles sub diro carpere somnos.* Et hoc est, quod dicit Horatius in Arte Poetica: *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.*" Et ad Aeneid. IV, 412. »*Improbe amor quid non.* Exclamatio a poeta contra amorem, et hoc est, quod Horatius dicit: *Hoc amet*" cetera. Et ad vs. 415. »*Frustra moritura: frustra* ex iudicio poetae dictum est, ut Horatius, *Hoc amet.*" Ergo ex Servii sententia hoc praecipit Horatius, ut poeta nonnunquam ex persona sua loquatur, se rebus intermisceat, suum iudicium interponat. Vides, quo redactus sit, ut sensum aliquem extunderet. Nam profecto neque ex his verbis praeceptum illud enascitur; nihil minus: neque quisquam sanus id generatim praecepti loco tradiderit. Quid enim in Comoedia Tragoediave fiat, ubi nunquam poeta se intermiscet? Quin et in Epico carmine aliisque fieri quidem potest; praecipi nisi inutiliter et stulte non potest. Deserunt itaque Servium recentiores, et *delectum rerum ipsarum* hic intelligunt, *Hoc amandum, hoc spernendum est;* aliud probandum, aliud reiiciendum. Enimvero cum Chaerea exclamare libet, *Dixti pulchre: vunquam vidi melius consilium dari. Hoc amato*, inquit, *hoc spernito:* an tu in Poetica ut singulare quiddam mones, quod in omnibus negotiis, in omni vitae genere notissimum est, quaedam fugienda esse, quaedam petenda? *Hoc* facito: *recte sane. Hoc* fugito: *callide.* Quin et in culina aeque ac in libris locum habet: *Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum: Illud recte est: iterum sic memento.* Multo scilicet doctiores et ad Poeticam instructiores discedimus, hoc arcano praecepto onusti. At nuper Cl. Dacierius, qui locum hunc ante suas Notas difficillimum et obscurissimum fuisse confitetur, sic pulchre rem expedire sibi visus est, cum ita enarrat: *spernat hoc vel illud*, neque omnia singillatim exequatur, quae quovis modo in argumentum et narrationem *incidunt.* Novam rem, si Musis placet, et in-

Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est,

tactam aliis dixit, cum *incidentia* nominavit: quid hoc, sodes, aliud est, quam *delectus rerum?* quid aliud, quam quod versu demum 150 habetur, *et quae Desperat tractata nitescere posse, relinquit?* At neque bis idem diceret Noster; neque tam mutus aut verborum pauper erat, ut praecepto illo de *Incidentibus* tam breviter leviterque defungeretur, *Hoc amet hoc spernat.* Quid multa? Restituo huic versui suum locum et ordinem iam plus mille annos, ut ex Servio patet, amissum; eoque indignius, quod de Ordine iam nunc tractandum erat. *Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor, Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici; Pleraque differat et praesens in tempus omittat. In verbis etiam tenuis cautusque serendis, Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum.* Vides, unius versiculi traiectio quas turbas dederit, quot coactas et ineptas commentationes pepererit. Subtilis, inquit, et cautus ac difficilis in verbis admittendis, *Hoc* (verbum) *amet, hoc spernat:* hoc ut probum recipiat, illud ut κακοῦ κόμματος repudiet atque abiiciat, utcumque populari usu quasi civitate donetur. Sic et Epist. ad Florum II, II, 109. *At qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum sumet censoris honesti: Audebit quaecumque parum splendoris habebunt,* Verba *movere loco, quamvis invita recedant, Et versentur adhuc intra penetralia Vestae: Obscurata diu populo bonus eruet, atque Proferet in lucem speciosa* vocabula *rerum*, cetera. Sentis, opinor, in promisso et legitimo carmine haec verba poetae *amanda*, haec *spernenda* esse. Quin et sequentia illa, *Dixeris egregie*, iam cultius et concinnius post hanc emendationem feruntur: nam antea, cum sic iuncta ponerentur, *In* verbis *etiam tenuis cautusque serendis, Dixeris egregie notum si callida* verbum; *verbis* utique et *verbum* tam propinqua repetitione meram scabiem et sordes prae se ferebant. Iam autem similis plane in plerisque libris traiectio est, Epist. I, 1, 57: illic tamen unus et alter codex rectam seriem servavit, hic nullus. Nempe prior et antiquior luxatio haec est, quam altera. Ceterum illud sancte affirmare possum, me nullum usquam aut Horatii aut cuiusvis veteris poetae manuscriptum exemplar versavisse, in quo scriba versum aliquem non omiserit. Qui error, ubi aliquamdiu latuit, in margine demum corrigitur: ubi statim deprehensus est, versus extra seriem scribitur; et literulis AB ad suam sedem revocandus notatur; scilicet ne librum venalem aut mercede descriptum litura dehonestet. Ubi vero hae in margine literulae negleguntur aut evanescunt; eo tandem res venit, ut longo temporis tractu librarii unius erratio per omnia dein-

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;

ceps apographa propagetur. BENTLEIUS.

Quae Bentleius disputans in unum coniunxit, haec ego separanda esse putavi, quo facilius haec nostra disputatio intelligatur.

Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici. Horatius loquitur de *Ordine.* Qui de Ordine Carminis exponit, is primo spectat initium totius. Initium hic inprimis spectatur, a quo in omni re suscipienda, neque minus in Epico carmine, tam multa pendent. Spectare hic initium Carminis Epici, lectori meo etiam, ni fallor, verosimile videbitur, quando in altera huius Epistolae editione versus 136 sq. huc retraxero, ita ut hoc modo coniungatur: *Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor, Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici Pleraque differat, et praesens in tempus omittat. Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim* sq. Quod Horatius hic generatim dicit de ordine, mox speciatim exemplo Homeri illustrat, qui bellum Troianum non ab ovo gemino orditur, sed auditorem in res medias, non secus ac notas, ducit. Atque Horatium inprimis spectare initium carminis, etiam hinc apparet, quod *materiem* praemisit. *Sumite materiem vestris viribus aequam.* Ubi talem sumseritis, ordo vos non deseret. Ordo erit non historicus, ut temporis notationem accurate observetis; sic enim carmen fiet historia in metrum redacta; sed ut iam statim in principio, et deinde, si res ferat, dicas, quae nondum dici debebant, et, quae dici debebant, ea in aliud tempus differas. Virgilius sumsit materiem Aeneida. Incipit: *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.* Dicit adeo nunc nondum dicenda; nam dicere debuerat de Troia. *Fuit Troia, ibi habitabat Aeneas.* Mox eodem turbato ordine pergit: *Vix e conspectu Siculae telluris in altum Vela dabant laeti.* Dicere debuerat: *Vix e conspectu Troiae vastatae vela dabant.* Et veteres Grammatici hanc ordinis rationem exemplis Virgilianis illustraverunt. Acron: » Ut Virgilius in nono narrat, in Italia iam posito Aenea, quomodo fabricatae sunt naves, quibus de Ilio navigavit Aeneas, cum in tertio non dicat." Commentator: » Ut Virgilius primum describit, qualiter Aeneas ad Didonem venit, et praetermittit suos casus et excidium Troiae, quod postea tamen satis declarat." Haec, quae disputavi, si vera sunt, legi non potest: *ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici.* Homerus, eumque secutus Virgilius, qui in Aeneide exemplum Homeri sanxit, hunc ordinem non tenuerunt: imo dixerunt, *nondum dici debentia:* iidemque in aliis materiei partibus saepe eundem morem tenuerunt. Si Horatius ita scripsisset, dedisset praeceptum Homero et Virgilio contrarium. Neque Bentleianum, *ut iam nunc dicat, nondum debentia dici Pleraque differat*, sententiam Horatii exprimit. Bentleius interpretatur: » ut interdum dicat omnia, interdum dicat pleraque; quae debebant dici et ad locum pertinebant, differat in aliud tempus; ne mole scilicet τῶν περισπάσεων obruatur lector et narrationis filum amittat." Equidem in verbis *iam nunc dicat*, non video quid intelligi possit, nisi dicat *debentia dici.* Neque *interdum* huc convenit, quia ad principium accommodari non potest. Tum non sat Latine sonant *interdum pleraque*, etiamsi *pleraque* interpreteris *multa*, ut nonnulli recte fecerunt, de quo tamen Bentleius non cogitavisse videtur. Denique illud de mole τῶν περισπάσεων non procedit. Lectores multo minus rerum narratarum mole obruuntur, longeque melius filum orationis retinent, si poeta narrat omnia *dici debentia*, quam si, *quae erant dicenda*, in aliud tempus reiiciat. Dic omnia ordine chronologico, nihil omitte, differ nihil, tum rerum cursum sine ulla animi intentione facillime sequemur. Sed ita animi intentio, exspectatio, admiratio, tollentur. Hae ut non tollantur, sed alantur et crescant, ideo Homerus et Virgilius ordinem Chronologicum inverterunt, et Horatius hoc praeceptum, iam a Graecis ex Homero petitum, Pisonibus ostendit. Ego propter has caussas scribendum existimo: *Ut iam nunc dicat iam non debentia dici, Pleraque differa et praesens in tempus omittat.* Hic nimirum erit optimus rerum disponendarum ordo, ut iam nunc, statim in principio, ea dicantur, quae nondum erant dicenda; multa autem, quae nunc erant dicenda, in aliud tempus differat. Vestigia quidem huius lectionis remansere in MS. apud C. Feam, in quo a manu prima positum erat: *Ut iam non dicat iam non debentia dici.*

In verbis etiam tenuis cautusque serendis. Ea transpositio ingeniosi Britanni tam simplex et vera est, ut verba perdam, si commendare velim.

Si forte necesse est Indiciis monstrare recentibus abdita rerum; Fingere cinctutis non exaudita Cethegis Continget. Res aliqua mihi *contigit*, si bona sit, non dicitur nisi de rara quadam felicitate, quam multi alii frustra sperant, ut: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Si necesse est, legimus, novas res novis vocabulis significare, *hoc tibi contingit.* Quasi vero facillimum sit, si quis modo velit, nova excogitare vocabula! Historia literarum docuit contrarium. Non cuivis, neque semper, quando quis vult, hoc ei continget. Et ipse Horatius cautionem addit de *licentia pudenter sumenda.* Neque verborum structura *si reddiderit — si necesse est* — eleganter procedit. Ho-

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget; dabiturque licentia sumpta pudenter:

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si

ratium scripsisse puto: *Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum; Si, ubi forte necesse est, Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, Fingere cinctutis non exaudita Cethegis Contigerit.* Optime, quod ad Latinitatem attinet, connectuntur: *Dixeris egregie, si reddiderit — si contigerit.* Optime, quod ad sententiam. Tenuis et cautus esto in delectu verborum. Laudaberis etiam si novum verbum per compositionem feceris; laudaberis, si, quando necesse est, verbum plane novum atque antea inauditum, faccre tibi contigerit. Et hoc tibi concedetur, si modeste feceris. In illo *si modeste feceris*, iam difficultas indicatur, ut intelligatur sic dici non posse, *tibi continget.* Igitur tum demum *egregie dixeris*, si *contigerit.* Eadem modi observatio in sequentibus *si cadant:* pro quo male in aliis *cadent* vel *cadunt.*

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem. Ficta verba habent Codices nostri, ut editiones omnes; recte quidem, si alio loco esset. At nunc versu abhinc altero praecesserat eodem sensu *fingere.* Quamobrem ne tam putida repetitione nitidissimum carmen maculetur, adsciscimus certissimam lectionem, quam Fabricii Codices subministrarunt: *Et nova factaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadent.* Cicero in Oratore c. 20. *Ego autem, etiamsi quorundam grandis et ornata vox est poetarum, tamen in ea licentiam statuo maiorem esse faciendorum iungendorumque vocabulorum.* Et c. 29. *Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis.* Et c. 52. *Est enim Isocrates, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior.* Idem de Oratore III, 38. *Novantur autem verba, quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt.* De Partit. Orat. c. 21. *Utendum erit iis in oratione singulorum verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis; id est, ut factis verbis aut vetustis aut translatis frequenter utamur.* De Finibus III, 15. *Cum uteretur Zeno in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis.* Et iterum: *Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem huius verbi faciendi Zenonis exponere.* Gellius XIII, 15. *Qui verba Latina fecerunt, quique his probe usi sunt,* humanitatem *appellaverunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant.* Ita Graeci dicunt *ὀνόματα ποιεῖν* et *πεποιημένα.* BENTLEIVS.

Ego *ficta* propter eam caussam retinuerim, propter quam Bentleius in *facta* mutavit. Repetitio eiusdem verbi non modo habet vim, sed hic etiam postulatur. Egregie dixeris, inquit, si nova tibi vocabula *fingere* contigerit: atque haec tibi venia dabitur, si verecunde feceris. *Fingere*

Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
Caecilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor; quum lingua Catonis et Ennî
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum praesente nota producere nomen.

etiam poteris e Graeco sermone, eaque, sicut prima illa, si parce detorseris, accipientur. Horatius variare orationem noluit. Fuisset, credo, affectata diligentia, et nimium in re tenui elegantiae studium.

Signatum praesente nota procudere nummum. Etiam hic locus describi meretur: *Ego cur acquirere pauca Si possum, invideor? cum lingua Catonis et Ennî Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum Nomina protulerit. Licuit semperque licebit Signatum praesente nota producere nomen.* Mirificum sane epiphonema: *licuit semperque licebit nomen producere.* Cur igitur, si hoc ita certum et concessum erat, tot versibus defensionem parasti, quod pauca nomina produxeris. Vides, opinor, vitium; cum in hac acclamatione, ut nunc quidem fertur, nihil arguti sit, neque quidquam, quod non in ipsa *κατασκευῇ* sive narratione iisdem verbis continebatur. Illud etiam vide, *nomina protulerit* et continuo rursus *producere nomen:* quis ferat tam inficetam repetitionem tam brevi intervallo? neque enim aliud est *producere* quam *proferre.* Quamobrem, aut valde fallor, aut sic scripsit Horatius, *licuit semperque licebit Signatum praesente nota procudere nummum.* Et *procudere* quidem firmatur ex scriptis, apud Lambinum, Achillem Statium, Jasonem de Norres, et Franciscum Luisinum: quorum novissimus et *nummum* se libentius legere ait, sequentibus tamen editoribus non potuit persuadere. Atqui, ut lectio recepta, prout iam vidimus, inanis est et putida; ita, quae nunc a nobis adsciscitur egregia prorsus et perquam venusta est. Claudit nempe argumentationem nota illa similitudine a *nummo* petita. Verba si quidem ut nummus sunt, cui forma publica est. Cum igitur nummum praesente nota signare semper licuit et licebit; quidni et idem ius erit verbis procudendis? Notissima, ut dixi, comparatio est sermonis cum *moneta;* adeo ut nude apud Nostrum posita neque probatione neque accommodatione indigeret. Symmachus Epist. I, 4. *Unus aetate nostra monetam Latiaris eloquii Tulliana incude finxisti.* Quintilianus I, 9. *Consuetudo*

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,

certissima loquendi magistra, utendumque plane sermone, ut nummo cui publica forma est. Curius Fortunatianus lib. III. *Vir perfectissimus dicit, Utendum est verbis, ut nummis publica moneta signatis.* Et iterum: *aperta quomodo erit elocutio? si utemur verbis propriis, usitatis, sicut nummis, ut dixi, publica moneta signatis.* Iuvenalis VII, 55. *Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui Communi feriat carmen triviale moneta.* Seneca de Benefic. III, 35. *Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri.* Recte autem *nummum signatum:* ita Minucius Felix c. 22. *Literas imprimere, nummos signare, instrumenta conficere.* Tertullianus Apolog. c. 10. *Imagine signatus nummus.* Prudentius Peristeph. III, 100. *Ni fallor, haud ullam tuus Signat deus pecuniam.* Cicero in Topic. c. 13. *Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri: est autem pecunia signata argentum, legata igitur.* Gellius II, 10. *Non rude aes argentumque, sed flata et signata pecunia.* S. Hieronymus in Vita Paulli Eremitae: *in quibus scabrae iam incudes et mallei, quibus pecuniae olim signatae, visebantur.* Seneca de Tranquill. c. 11. *Ego vero factum signatumque argentum, domum familiamque meam reddo, restituo.* Recte itidem et *signatum nota.* Aurelius Victor in Aureliano: *Moneta opifices delet, quod nummariam notam corrupissent.* Varro de Re rustica II, 1. *Et quod aes antiquissimum pecore est notatum.* Plinius Hist. XVIII, 68, figurata: *dicebat hoc discrimen indubitatis notis signasse naturam. Nota* igitur in nummis idem est ac *forma*, cum in locis supra citatis, tum et illo Senecae de Benefic. V, 29. *Non est malus denarius, quem barbarus et ignarus formae publicae reiecit.* Ergo, inquit Flaccus, ut cuivis aetati licuit et licebit, vel nummos ex nova materia cudere, vel veteres iam tritos et obsoletos conflare ac praesente nota denuo signare; ita *verba* quoque licuit et licebit vel nova prorsus fingere et facere, vel antiquata et desita recenti incude reformare, nova terminatione vel modulatione variare, nova iunctura alio declinare et flectere. BENTLEIVS.

Illud epiphonema me quidem non offendit. Cursum orationis hunc esse arbitror: Dabitur haec tibi licentia. Si licuit maioribus, negari hoc non potest nobis. Concessere Caecilio et Plauto, cur Romani Virgilio et Vario negent? Cato et Ennius plurima nova vocabula finxerunt, cur mihi irascantur, si finxero pauca? Imo (ut hoc argumentum concludam) licuit et semper licebit nova vocabula producere. Si, quod dicit Bentleius, in tali epiphonemate nihil arguti sit, nihil etiam est in epiphonemate quod ipse Horatio dedit-*procudere*

Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,

nummum. Si dicas *nomen*, dixisti proprie, si *nummum*, figurate: *nomen* semper tamen cogitatur. Et comparatio inter ius *nummi* et *nominis* procudendi adeo claudicat, ut sic, quemadmodum Bentleius instituit, institui non possit. *Licuit semper novos nummos procudere* dictu ineptum est. Quis enim unquam dubitavit an liceat, si, qui procudit, ius habet? Si non ius habeat, non licet. At verba fingere cuivis licet. Apud Romanos quidem jure faciebant novos nummos primum reges, tum populus, a quo constituti triumviri monetales A. A. A. F. F, deinde Caesares. Iam nummi ex auro v. c. procusi, *praesente nota signati*, non sunt *novi*, ut sunt *nova vocabula.* Aurum est eadem materies, nota non est diversa. Neque nummi illi veteres, triti et obsoleti, qui conflantur et praesente nota signantur, ad vocabula, de quibus Horatius egit, referri possunt. Nam et eadem forma referuntur, et Horatius vult vocabula nova, antea plane inaudita, igitur nummos formae antea nunquam visae. Nummorum adeo Bentleianorum longe alia ratio est, quod etiam magis appareret, si quis ceteras comparationis partes persequeretur. Comparatio sic erat instituenda: *scriptoribus semper licuit nova vocabula fingere, ut magistratibus novos nummos cudere.* Horatio in hac disputatione ante oculos versabatur imago *monetae.* Ideo et dixit *verba fidem invenient.* Ita dicere potuit *nomen procudere* hac vel illa *nota signatum*, non dicere potuit *nummum procudere*, quia tum comparatio nimis a veritate recedit. Sed in *nomine procuso*, *nomen* manet unicum subiectum, de quo cogitamus, et comparatio tantum in *faciendo*, *fingendo*, *procudendo* cernitur, neque ad *ius* neque ad alias comparationis partes extenditur. Quare ex Bentleianis illud *procudere* unicum est, quod acceperim, et sic scripserim, non *producere.* Sed manet in vulgatis alia difficultas, quam superare non potui, nisi per coniecturam. Quid enim est *nomen* vel *nummus praesente nota signatus?* Non alius, puto, nisi *ea nota*, quae nunc viget, quam praesentem, qui nunc vivimus, intuemur, nummus, quem damus et accipimus, qui fidem habet, qui, ut nos loquimur, commeat. Ad eandem rationem *verba praesentia* sunt *quibus praesens aetas utitur.* Hoc quamvis tam clarum sit, ut verbum addere vix audeam, afferam tamen elegantem Favorini philosophi disputationem, quam servavit A. Gellius N. A. I, 10. *Favorinus Philosophus adolescenti veterum verborum cupidissimo, et plerasque voces nimis priscas et ignotissimas in quotidianis communibusque sermonibus expromenti, Curius, inquit, et Coruncanius, antiquissimi viri nostri, et his antiquiores Horatii illi trigemini, plane ac dilucide cum suis fabulati*

Et iuvenum ritu florent modo nata virentque.

sunt, neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, sed aetatis suae verbis locuti sunt. —— Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta et bona et sobria et modesta sit: vive ergo moribus praeteritis; loquere verbis praesentibus; atque id, quod a C. Caesare in primo de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. Vides, opinor, verba *praesente* nota signata, verba praesentia, esse verba, non *nova*, sed *cognita*, et communi usu recepta ac vigentia. Omnia, quae Bentleius affert, exempla hoc confirmant. Qui apud Symmachum *monetam Tulliana incude finxit*, is finxit eam, quae tunc nova erat. Quintilianus commendat sermonem *consuetum*, *publicum*, alii sermonem *publicae monetae*, *communis monetae*, quod idem est ac *praesentis monetae*, *praesentis notae*. Plane ut Lucianus in Lexiphane T. I. ed. Graev. pag. 836. Lexiphanes habet hunc morbum: *ἡμᾶς τοὺς νῦν προσομιλοῦντας καταλιπὼν, πρὸ χιλίων ἐτῶν ἡμῖν διαλέγεται, διαστρέφων τὴν γλῶτταν καὶ ταυτὶ τὰ ἀλλόκοτα συντιθεὶς, καὶ σπουδὴν ποιούμενος ἐπ' αὐτοῖς, ὡς δή τι μέγα ὂν, εἴ τι ξενίζοι, καὶ τὸ κατεστηκὸς τῆς φωνῆς παρακόπτοι.* et Ovid. Art. Amat. III. 479: *Munda sed e medio, consuetaque verba, puellae Scribite. sermonis publica forma placet.* Metaphora haud dissimili Dioscorides in Anthologia: *Αἰσχύλος ἐξύψωσε, νεοσμίλευτα χαράξας Γράμματα.* ut Bentleius ad huius Epistolae vs. 441. ingeniose correxit. Quod quum plane contrarium sit rei, de qua Horatius egit, inserendam puto particulam negativam: *licuit semperque licebit Signatum haud praesente nota procudere nomen.* Licuit semper et semper licebit nova rerum nomina facere, quae antehac incognita et inaudita erant, nomina monetae non praesentis, quam praesens aetas ignorat.

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos. Insolens profecto loquendi genus, *silvae foliis mutantur;* quodque nullo, ut opinor, exemplo defendi aut excusari potest. In hac constructione legerim potius, mutatione minima, *Ut silvae foliis pronos nudantur in annos.* Cicero in Arateis: *Denudant foliis ramos et cortice truncos.* Claudianus de Bello Getico v. 166. *Frigida ter decies nudatum frondibus Haemum Tendit hiems vestire gelu.* Senec. Hippol. 966. *Ut nunc canae frigora brumae Nudent silvas: nunc arbustis Redeant umbrae.* Severus, poeta Christianus: *Quam multis foliis silva cadentibus Nudatur, gelidis tacta aquilonibus.* Vel eadem prorsus sententia legerim, levi item mutatione, *Ut silvae foliis pronos viduantur in annos.* Plane ut Noster Carm. II, 9. *Aut foliis viduantur orni.* Virgil.

Debemur morti nos, nostraque; sive receptus

Georg. IV, 518. *Arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis.* Silius Ital. III, 601. *Nec Stygis ille lacus, viduataque lumine regna;* et XII, 370. *Serpentum tellus pura et viduata venenis.* Et sunt quidem, ni fallor, qui utramvis ex his coniecturis plausu excipere velint: sed ubi contextum orationis accuratius considero, plane alia via incedendum esse video. Cum enim *folia* hic, non *silvae* cum *verbis* comparentur; oportet utique, ut id vocabulum casu recto efferatur, et ducat sententiam. Atque ita sane locus hic citatur a Diomede p. 394. *Sed iniecit*, inquit, *postea aetas manum; et veluti disciplinam pristini saeculi;* ita in sermone fastidire coepit, et nova parturire verba, quae iuvenum ritu ipsa modo florent et vigent, ut et Horatius: *Ut folia in silvis pronos mutantur in annos, Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas, Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.* Adde et illud, quod dure admodum et inconcinne illa subnectuntur, *prima cadunt;* nisi nominativum *folia* in praecedentem versum adsciveris. Qualis enim, sodes, oratio est, *silvae mutantur foliis: prima cadunt.* Heinsius quidem Daniel *non dubitaverit*, ut ait, *praeferre, quod a Diomede adducitur.* Utinam vero manu scripti mihi codicis copia esset; veram, opinor, lectionem apud illum Grammaticum delitescentem reperirem. Nunc, quia res coniecturis agenda est; non crediderim ab Horatii manu esse, quod profert Diomedes: quippe quod ita clarum ac facile est, ut incredibile sit a librariis nostris interpellari potuisse. Illi etenim difficilia et recondita facilioribus, non contra, solent mutare: neque quisquam inauditum illud *Ut silvae foliis mutantur* perverse substituerit, si in exemplari suo invenisset quod extra omnem exceptionem est, *Ut folia in silvis.* Virgil. VI, 309. *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia.* Manilius lib. V. 731. *Quot delapsa cadunt foliorum millia silvis.* Quamobrem, aut valde fallor, aut sic dedit Horatius: *Ut silvis folia pronos mutantur in annos:* ubi syllaba brevis sustentatur, tum caesurae ratione, tum ob binas, quae sequuntur, consonantes: qualia passim apud Virgilium et alios occurrunt. Hanc porro licentiam cum librarii datam esse nescirent; quid magis in proclivi, quam ut *silvae foliis* officiose reponerent? Sed et aliud, opinor, hic mendum latet, in lucem iam protrahendum. Quid enim est in *annos pronos?* an *vergentes*, declinantes, sub auctumno scilicet; ut *prona dies*, decedens, apud Statium Theb. II, 41. *Ast ubi prona dies.* Hoc quidem Dacierius voluit: verum haud patitur hanc sententiam indoles locutionis; ubicumque enim dicunt *in horas, in dies, in menses, in annos;* totos et integros necessario denotant, non aliquam eorum partem.

Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,

Ergo alii cum Acrone *pronos* in universum *annos* accipiunt, *volubiles* scilicet, *declivos*, *cito labentes* et *instabiles*. Ita Seneca *praecipitem annum* appellat, Herc. Fur. v. 180. *Properat cursu Vita citato, volucrique die Rota praecipitis volvitur anni.* Atqui apud Senecam morata oratio est: ubi enim de vitae brevitate querimur, belle sane praecipitem annum et volucrem diem incusamus: at alias iidem ut lenti nimis et morantes increpantur, *Et queritur tardos ire relicta dies.* Atqui nullus hic apud Flaccum moratae orationi locus est: et profecto, cum *in annos* dicit, inepte prorsus utrumvis addidisset, seu *celeres*, sive *tardos*, neque enim quisquam in simili phrasi moratum epitheton usquam adiunxit. Equidem sic locum restituo: *Ut silvis folia privos mutantur in annos.* Amavit hoc vocabulum Noster, qui et alibi habet *priva triremis*, et *turdus*, *sive aliud privum.* Festus: *Privos privasque antiqui dicebant pro singulis.* Gellius X, 20. *Veteres* priva *dixerunt, quae nos singula dicimus.* Ut folia, inquit, *mutantur in singulos annos, ita verborum vetus aetas interit*, nova exoritur. Lucretius V, 275. *Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto Innumerabiliter privas mutatur in horas.* Quid autem? Nonne gemina plane et germana sunt, *privas mutatur in horas* et *privos mutantur in annos?* Iterum V, 732. *Inque dies privos aborisci quaeque creata.* Ceterum unum idemque est, utrum *in horas privas* seu *singulas*, an brevius *in horas* dixeras. Noster infra in Arte v. 160. *Gestit paribus colludere, et iram Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.* Serm. II, VII, 10. *Modo laeva Priscus inani Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas.* Ingere huc, si vis, quodcumque epitheton, praeterquam *privas* aut *singulas;* et putidissimam orationem efficies. Porro *in dies singulos*, *in menses singulos*, in *singulos annos*, passim apud Ciceronem, Livium, aliosque occurrunt; nec in tam notis exemplis est immorandum. *Privus* autem et *primus* et *pronus* ob compendiosam scribendi rationem facillime a librariis permutabantur. Sic Epist. II, III, v. 98. *Lento Samnites ad lumina prima duello.* Duo Blandinii apud Cruquium *prono.* Virgil. X, 292. *Primus in arma iube:* ubi Pieriani aliquot Codices *pronus.* Lucret. III, 373. *Illud in his rebus nequaquam sumere possis Democriti, quod sancta viri sententia ponit; Corporis atque animi primordia singula primis Adposita, alterius variare et nectere membra.* Ita nunc scripti editique: sed sine dubio corrigendum est; *Corporis atque animi primordia singula privis Adposita*, hoc est: *singula corporis primordia singulis animi adposita.* His argumentis freti *privos in annos* apud Flaccum adscivimus, non *pronos.*

Regis opus; sterilisque diu palus, aptaque remis,

Nam quod *pronos annos*, hic dictum opinantur, ut *pronos menses* Carm. IV, 6; in eo iudicium eorum et acumen desidero: *Rite Latonae puerum canentes, Rite crescentem face Noctilucam, Prosperam frugum, celeremque pronos Volvere menses.* Recte: siquidem ubi *celerem* addidit et *volvere*, *pronos* hic menses finxit, quasi a capite summa ad imum per prona devolvendos. Silius Ital. XV, 235. *passim per prona voluti Truncato instabiles fundebant corpore vitam.* Gellius II, 30. *Fluctus excitatos quasi per prona volvi. Celer* enim Luna est comparatione fratris, ut et ipse Sol, comparatione saeculi; Seneca Oedip. 250. *Tuque o sereni maximum mundi decus, Qui tarda celeri saecula evolvis rota.* Haec omnia, ut vides, morate dicuntur, prout locus, causa, persona, sententia variat: atqui idem Noster si *in menses* vel *in annos* dixerat, ubi *privos* vel *singulos* tacite subauditur, nunquam, mihi crede, *pronos* addidisset. Quamquam et hoc loco suspicio est, Scholiastas veteres olim legisse, *celeremque privos Volvere menses:* quippe uterque sic enarrat, *Quia singulis mensibus Zodiacum circulum Luna pertransit.* Verum de hoc quisque sentiat, ut volet. Recte vero *prima cadunt:* neque hanc quispiam lectionem sollicitet, aut *priva* substituat. Hieronymus Praefat. ad II. librum Oseae: *Postquam alia venerit generatio, primisque foliis cadentibus virens silva succreverit.* BENTLEIVS.

Videamus an lectio, quam Bentleius constituit, nihil habeat, in quo quis amplius haerere possit. *Privos in annos* mihi quidem extra dubium esse videtur: *pronos*, etiam si interpretere *annos ad finem vergentes*, *auctumnos*, nemini placebit, qui cogitet Horatium loqui de duplice silvarum mutatione, quando folia amittunt et folia recipiunt. Cetera vero mihi minus satisfaciunt. *Ut folia mutantur in silvis, prima cadunt; ita actas vetus verborum interit:* est oratio tam male connexa, quam ab Horatio connecti non potuit. *Ut* significat vel *sicuti*, vel *quando: sicuti* requiritur ob sequens *ita*, quod praecedenti respondet. Sed significet *quando*, contorta structura non liberamur: *quando folia mutantur in silvis, prima cadunt: ita verba intereunt. Ut folia in silvis*, tam facile est, ut librarii non fuissent mutaturi. Hoc recte monuit Bentleius. Tamen non video, cur, quum Horatius hoc, tam facile, scribere potuisset, alterum difficilius praelaturus fuisset, *Ut silvis folia privos mutantur in annos.* Huius licentiae hic nulla apparet caussa, sive in necessitate sive in elegantia quaeras. Neque *prima cadunt* sententiam habent satis expeditam. Silvae bis folia in singulos annos mutant, auctumno accipiunt flava, vere viridia. Quum silvae folia mutant, ea non statim cadunt;

Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;

et mutatio tam ad ver quam ad auctumnum referri debet. Tum *prima folia cadunt* magis significat *primum cadunt*, vel *quae primum nata sunt*, hoc est *verna* ac *virentia*. Sed ea non cadunt, eo ipso, quod sunt primum nata, quod sunt *prima*. Interpretantur folia quae prius nata sunt, atque adeo aliis foliis vetustiora. Vestram fidem, interpretes! Tam breve temporis intervallum aetatem foliorum distinguit, ut alia appellari possint *vetusta*, alia *iuvenilia?* Neque comparatio foliorum cum verbis tam late porrigitur, sed in eo subsistit: ut folia quotannis nascuntur et cadunt, ita verba oriuntur et intereunt. Pro *prima cadunt*, Boher. ad Ciceronis Tusc. Quaest. p. 270 corrigit *priva cadunt*. Hinc tamen lucramur nihil. Inspexi vetustissimas Diomedis grammatici editiones, partem apparatus Bondamiani in Bibliotheca publica Leidensi, quarum editionum margines variis lectionibus, undique, etiam ex MSS. sunt aucti. Nullam deprehendi varietatem in versu Horatiano, nisi inter *privos* et *primos*. Quare, quod non intellexi, id coniectura assequi conatus sum. Nullus, credo, Romani scriptoris liber exstat, in quo, sive singulos versus sive tota praecepta consideres, legitimus ordo per librarios magis sit corruptus. Vocabulo semel transposito, cetera deinde, ut metrum restitueretur, transponebantur, alia omittebantur. Ego Horatium scripsisse puto: *Ut modo, cum silvae privos mutantur in annos, Folia cadunt, ita verborum vetus interit aetas: Et iuvenum ritu florent modo nata virentque, Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.* Qui versus, ita positi, claram et egregiam sententiam praestant; ac de ceteris deinde dicemus. Nunc vide, quam recte et apte cohaerant: *Ut, cum silvae mutantur, folia modo cadunt, modo nascuntur et virent.* Librarius unus haec ita scribere potuit: *Ut modo folia, cum silvae primos mutantur in annos Cadunt, ita verborum vetus interit aetas.* Alter, ut hexametrum restitueret: *Ut foliis silvae primos mutantur in annos Prima cadunt:* alter *Ut folia in silvis.* Si quis caussas erroris invenire possit vero similiores, laetabor. Hoc mihi concedet, opinor, orationem, quam feci, esse Latinam, perspicuam, et rotundam. *Folia* esse trochaeum, nemo non videt. *Folia cadunt* idem sonat ac Virgilianum *genua labant.* Ac videtur ea corruptela in Horatio iam esse valde antiqua. Grammatici quidem illud Virgilianum explicantes, si Horatianum novissent *folia cadunt*, in exemplum, credo, attulissent. Et iam Hieronymus, quod nunc vulgatur, legit. Bentleius locum citavit: *postquam alia venerit generatio, primisque foliis cadentibus virens silva succreverit.*

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,

Et iuvenum ritu florent modo nata virentque. » Ut folia in silvis quotannis mutantur, prima cadunt: et sic vetera verba intereunt, et nova florent." Qui talem scribendi incogitantiam tolerare possit, toleret. *Modo* hic significare debet *vix, recens.* Iam *verbum* statim nec simul nascitur et floret. Poterat *modo* significare *nunc*, ut in formulis *nunc-nunc*, *modo-modo.* Et saepe fit ut prius *modo* omittatur. Sed si hanc rationem sequimur, sententia etiam magis perturbatur. Pro *vigent*, in MS. apud Feam *virent.* Et sic ille edidit. Verum puto *virent.* Nam intelliguntur *folia*, quae virent, non *verba.* Requiritur oppositum *foliis cadentibus*, hoc est, *folia virentia.* Horatium respexit Quintil. VIII, VI, 32. *Deinde, tamquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur.* Ubi Gesnerus, miro errore, citavit Horatiana: *verborum velut interit aetas.* Verba Horatii respexit Gainfredus Grammaticus, cuius liber MS., olim reginae Suecae, est in Bibliotheca Vaticana. Angelus Maius inde particulas excerpsit in Auctor. Class. Codd. Vatic. et in T. V p. 150, retulit tres auctores a Gainfredo laudatos, *Comminianum*, *Plinium Secundum* et *Terentium Grammaticum.* Verba Gainfredi haec sunt: » De consuetudine, quae nunc est, Terentius dicit: » nihil est quod dictum prius." Sed iniecit: postrema aetas mundi, ut disciplinam pristini saeculi, ita et sermonem fastidire coepit, et nova parere verba, quae iuvenum ritu florent et vigent." Haec Gainfredus. Maius hunc Terentium putat fuisse Grammaticum, aequalem Virgilii Grammatici: W. H. D. Suringar in Historia Critica Scholiastarum Latinorum, libro docte et eleganter composito, T. III. pag. 191, Terentii Scauri fragmentum invenisse sibi visus est. Est, ni fallor, Terentius Afer, Comicus, cuius versus citatur ex Prologo Eunuchi v. 41. *Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.* Praeterea totus Gainfredi locus sic est restituendus: » *De consuetudine, quae nunc est, Terentius dicit:* » nihil est, quod non dictum sit prius." Sed iniecit postrema aetas manum, et, ut disciplinam pristini saeculi, ita et sermonem fastidire coepit sq. Gainfredus ista sumsit ex Diomede Lib. I, pag. 394: » *Ut praeclare dixerit Terentius.* » Nihil est dictum, quod non sit dictum prius." *Sed iniecit postera aetas manum; et veluti disciplinam pristini saeculi, ita et sermonem fastidire coepit, et nova parturire verba, quae iuvenum ritu ipsa modo florent et vigent, ut ait Horatius.*

Debemur morti nos nostraque. Cave cum Achille Statio *debemus* ex scripto Prisciani codice substituas v. 63. ubi scripti editique recte exhibent *Debemur morti nos nostraque.* Sic et Ovidius Metam. X, 32. ubi Manes alloquitur: *Omnia debemur vobis: paullumque morati Serius*

Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt;

aut citius sedem properamus ad unam. Debemur etiam Servius habet ad Aen. IX, 96. et scriptus Prisciani Codex Cantabrigiae, Statiano melior. BENTLEIVS.

Quamquam Simonides dixit θανατῷ πάντες ὀφειλόμεθα, unde *nos morti debemur* expressum videatur, eam tamen sententiae similitudinem ipsam non sufficere arbitror, ut vulgata lectio propterea pro manu Horatii accipiatur. Dispiciendum potius, an cum universa praecepti indole conveniat. Ut folia, inquit, ita verba intereunt et nascuntur. Nos et omnia nostra aliquando moriemur, sive mare fiat, quod fuit terra, sive palus mutetur in arvum, sive amnis novum cursum capiat. Quidquid mortale est, peribit. Nedum sermo sit immortalis. Hic non assequor, cur illud *nos et nostra moriemur* confirmari possit exemplis *terrae in mare, paludis in arvum conversae* et *fluvii veterem viam deserentis*. Nihil ibi *moritur*, sed *facie* tantum mutatur. Nam, licet *oppida* interdum mori dicantur, ut Rutil. Itin. I, 413. *Nos indignamur mortalia corpora solvi? Cernimus exemplis oppida posse mori:* nemini, credo, in mentem veniet ut dicat: portus ille Iulius aliquando *morietur*, ager, fertilis fluvius *morietur*. Neque, ut sine ulla exceptione verum est: *homines aliquando morientur:* ita verum est *opera illa peribunt*, nisi cogites ultimum totius mundi diem: quod ineptum. Si homines volunt, opera illa non peribunt, sed semper integra conservabuntur, nisi tota regio vehementi terrae motu evertatur: quae tamen exceptio et ipsa in tali sententia tam ridicula est, ut ad eam non melius responderi possit quam proverbio, *si coelum ruat*. Occupati sumus hodie in siccando lacu Harlemensi. Quis e nostratibus poeta, sanae quidem mentis, hoc utatur argumento: *debemur morti nos nostraque. Lacus Harlemensis, diu navigatus, grave sentiet aratrum; sed rursus fiet, quod fuit, lacus.* Praeterea Horatius non erat adeo inurbanus, ut ista scribere auderet. Augustus exstructo portu Iulio, siccatis paludibus Pontinis, agris ab inundatione Tiberina liberatis, optime de re publica erat meritus, laudesque omnium bonorum consecutus. Quid prodest, dicit Horatius, omnis iste labor? Vani fuere sumtus. Omnia peribunt. Corrupta puto illa: *debemur morti*. Video, et quivis mecum videt, quid postuletur, nempe: silvae mutantur, folia cadunt et nascuntur, verborum alia intereunt, alia rursus virent. Ipsi homines et hominum opera non manent eadem. Facies naturae et locorum in novas species transfertur. Horatius pro DEBEMVR MORTI scribere potuit: MVTAMVR FORMAM. *Mutamur formam nos nostraque:* hoc optime et ad antecedentia et ad sequentia refertur. Est genus quoddam disputationis, non dissimile philosophorum disputationi, qui σὶ ῥέοντες appellantur. Disputavit ad eundem modum

Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.

Pythagoras apud Ovidium Metam. XV, 153 sq. unde haec notanda: *Omnia mutantur. Cera-nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem. Nihil est toto quod perstat in orbe: Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago. Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla Corpora vertuntur, nec, quod fuimusque sumusque, Cras erimus. Sic toties versa est fortuna locorum. Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum. Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit, et eluvie mons est deductus in aequor. Eque paludosa siccis humus aret arenis. Coelum, et quodcunque sub illa est Immutat formas tellusque et quidquid in illa est. Nos quoque pars mundi.* His Ovidii locis adde Scholia. Acro: *Si ergo mutatur natura maris et terrae — siquidem etiam natura ipsa mutatur: ubi terra in mare ducitur, paludes vertuntur in segetes, flumina suum mutant cursum. Si haec omnia mutantur, verborum genera perennia manere quomodo possunt?* Commentator: *Sicut ista, quae naturalia fuerunt, potuerunt ab hominibus permutari; ita et illa, quae artificialiter ab hominibus sunt inventa et facta, poterunt facile perire: nam ut corpus mortale est, ita et omnia eius facta, siquidem etiam ipsa natura mutatur: et sicut anima hominis est immortalis, ita quoque animae facta sunt perpetua.* Frequens iste usus verbi *mutantur* et *permutantur* in Scholiis ostendere videtur, auctores in MSS. pro *debemur morti nos nostraque*, illud, quod volebam, *mutamur* vidisse ipsos vel ipsis antiquiores, unde Scholia sua composuerunt. Caeterum Commentator non ignoravit Scholion Servii ad Aeneid. IX, 96: *nec enim possunt aeterna esse, quae ab hominibus facta sunt.* Horat. Art. Poet. 63. Debemur morti nos nostraque. *nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt.* Sallustius Iug. XI. *Caeterum studia omnia nostra, sicut anima, immortalia sunt.*" Haec Servius: in cuius annotatione hoc reprehendendum, quod, quum Virgilius de *nave* loquatur hominum manibus fabricata, illud exemplo mutatae hominum manibus naturae illustravit. In quo tantum est discrimen, quantum est inter rem *animatam* et *inanimatam*. Aliam formam naturae damus. Ea forma manet, quia natura, animal vivum, ipsa hominum opus adiuvat.

Sive receptus Terra Neptunus classes aquilonibus arcet, Regis opus. G. Waddelius in Animadv. pag. 83. corrigebat: *recepto Terra Neptuno.* Neque necessarium, et longe minus poeticum. Pulchre, *Neptunus arcet classes a ventis*, qui classes alioquin saepe iactat ventis. Servanda quoque est appositio *Neptunus receptus, regis opus.* Nam si illud *regis opus* iam nunc non unam habet difficultatem, sic solum positum non intelligi potest, nisi opus *veri*

Multa renascentur, quae iam cecidere; cadentque,

regis. Vulgatum vidit Quintil. Instit. Orat. VIII, VI, 23. *Receptus* idem est, quod alii dicunt *immissus.* Res nota de Xerxe. Vide Burm. ad Arthol. T. I, pag. 191.

Regis opus. Romani post Tarquinium Superbum a nomine *regni* et *regis* vehementissime abhorrebant. Plutarchus in Antonio 12, mirum dicit, quod Romani τοῖς ἔργοις τὰ τῶν βασιλευόντων ὑπομένοντες, τοὔνομα τοῦ βασιλέως, ὡς κατάλυσιν τῆς ἐλευθερίας, ἔφευγον. Illud nomen nemini maiorem invidiam conciliare poterat, quam Augusto, illi, qui libertatem revera oppresserat, sed umbram et speciem diligentissime servabat. Quare, teste Suetonio cap. 53, *dominum se appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Quomodo iam Horatius opus, recens ab Augusto exstructum, omnibus notum et laudatum, appellare auderet *opus regis?* Hoc duos veteres Germanos, Gesnerum et Heynium, movit, ut *regem* non de Augusto, sed ille ad h. l. de Xerxe, hic ad Virgilii Georg. II, 161, de rege aliquo Ptolemaeo et portu Alexandrino, acciperent. Quod ut mihi non verosimile videtur, (non enim placet tam longe petitum exemplum inter duo domestica, neque esset decorum silentio praeterire Augustum, qui in Italia nuper fecerat, quod barbari reges diu antea longe extra Italiam fecissent), ita tamen in vulgatis secure acquiescere non possum. Quapropter pro REGIS scribendum arbitror vel REGIVM vel VRBIS. *Regium opus* fortasse significare potuit *regale*, hoc est rege dignum. Quamquam veteres Grammatici inter utrumque adiectivum discernebant. Si ipsa Scipionis verba Latina scirem, quae Polybius Graece retulit X, 40, certius de re ista statuerem. Scipio dicebat: *Βασιλικὸς μὲν βούλεσθαι καὶ λέγεσθαι παρὰ πᾶσι, καὶ τοῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν. βασιλεὺς γε μὴν οὔτε ἐθέλειν εἶναι, οὔτε λέγεσθαι παρ' οὐδενί.* Usus tamen fuisse videtur adiectivo *regalis*, quod Livius XXVII, 19, ostendit: *Sibi maximum nomen imperatoris esse, quo se milites sui appellassent. Regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile esse. Regalem animum in se esse; si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite iudicarent; vocis usurpatione abstinerent.* Quodsi iam *regium opus* non temere admitti possit, multo minus potest *regis opus:* est enim, quod ipse rex, Augustus, constituit. Sic Florus I, 1. *Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus.* Idem I, 18. *Tarentus Lacedaemoniorum opus.* Ausonius inMosella 289. *Quis Chalcedonio* (miretur) *constratum ab litore pontum, Regis opus magni.* Ideo verius iudico: *Urbis opus.* Veteres appellant omne opus, inusitata magnitudine ac splendore excellens, *urbis opus.* Virgilius,

Quae nunc sunt in honore, vocabula; si volet usus,

quem Horatius in hac Epistola libens imitatur, Aeneid. V. pag. 304. *Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram, Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu Impellunt.* Ibi nonnulla annotavi. Portus iste Iulius erat instar urbis, urbs videbatur. Livius XXV, 25. *Inter Neapolim et Tycham (nomina partium urbis, et instar urbium sunt) castra posuit.*

Sterilisque diu palus aptaque remis. Cum ex analogia et pronuntiationis lege *palus* posteriorem syllabam producat; ut Virgilio, *Limosoque palus obducat pascua iunco. Cocyti tardaque palus inamabilis unda. Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso. Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt:* gravat profecto Flacci manes sceleratus hic versiculus, *atque ignoratae premit artis crimine turpi:* ubi syllaba ista indignantibus Musis corripitur: *Regis opus: sterilisque diu palus aptaque remis Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum.* Neque vero ullum in codicibus subsidium est: hi omnes et Grammatici etiam veteres iam a mille annis lectionem hanc et notarunt et propagarunt. Servius ad Aeneid. II, 65. »*Sane* tellus us *longa est*, et pauca *sunt*, *quae* us *producunt*, *ut* senectus, iuventus, salus, virtus, palus, servitus, incus, tus, rus, mus, pus. Palus *tamen brevis nonnunquam invenitur*, *quia in* dis *exit genitivus: ut Horatius*, Sterilisque diu palus aptaque remis." Idem ad Aen. VI, 107. »*In* palus *bene Virgilius producit* lus, *quia* paludis *facit; quod supra plenius diximus. Horatius corripuit*, *ut:* Sterilisque diu palus aptaque remis." Idem de ultimis syllabis pag. 1813. »*Us vero, cum in genitivo crescente longa permanserit, producitur, excepto uno* palus, *ut est hoc*, sterilisque diu palus aptaque remis." Quae totidem verbis habentur apud Bedam de Metris p. 2360. Denique et Priscianus p. 718. »Palus *tamen etiam correpta* us *invenitur apud Horatium de Arte Poetica*, Sterilisque diu palus aptaque remis." Vides hoc Nostri loco omnes inniti, quodque peius est, hoc uno; neque quemquam alium scriptorem ad partes vocare. Doluerunt itaque recentiores Horatii vicem, nullumque non lapidem moverunt, ut tam foedum a caro capite dedecus amolirentur. Alciatus hoc effugium reperit, ut *palus* in unam syllabam coalescat, et quasi *plus* efferatur; quemadmodum apud Comicos *meum*, *tuum*, *novum* ad monosyllaba saepe rediguntur; cuius animum quidem laudes, commentum ut futile vituperes. Erythraeus vero cachinno excipiendus est, qui literam *s* abiiciendam putat, *palu' aptaque remis*, more veterum poetarum, qui *Hibernis pastibu' pulsi*, *subito ex infantibu' parvis*, et alia ad id exemplum passim usurpabant, ignarus, hoc ante consonantes solum, et ubi *us* natura breve erat, vel veteribus

Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.

illis licuisse. Iam autem strenue frontem perfricat Theodorus Marcilius, qui *ex veterilus* Horatii Priscianique *membranis* veram, ut ait, lectionem profert, *sterilisque palus aptataque remis*. Ubi enim gentium sunt tales membranae? Aut qui sodes credibile est apud Priscianum produci, qui ideo citat, ut corripi ostendat? quid, quod *aptata remis* minime quidem *palus*, sed *navis* vel *ratis* recte dicitur: *palus* vero *apta remis*. Ovid. Art. Amat. II, 126. *O quoties illum doluit properare Calypso; Remigioque aptas esse negavit aquas!* Claudian. Bello Get. v. 339, de Rheno et Danubio: *Ambo habiles remis, ambo glacialia secti Terga rotis.* Quid igitur fiet? favebunt, ut bene ominor, qui Horatio bene volunt, si et ipse, in re iam deplorata et deposita, quid possim, tentavero. Principio igitur nemo a me impetrabit, quin Grammaticos illos vitiosis exemplaribus esse deceptos credam, qualia pleraque Virgilii erant, teste Gellio, diu ante quam illi nascerentur. Incredibile enim est, ut *palus* corripuerit Flaccus, contra sermonis genium et normam, omniumque aliorum morem, tam profecto, quam si *virtus* aut *tellus* breviter eum extulisse contenderis. Posito igitur et concesso, locum, ut hodie fertur, in mendo cubare; sic restituendum et reponendum arbitror: *Regis opus: sterilisve palus prius aptaque remis Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum.* Ubi illud *ve* ex Vossiano, Graeviano et Batteliano adsciscimus; *Sive* Neptunus — sterilisve palus — *seu* amnis cursum mutavit. ut Carm. IV, 2. *Seu Deos regesque canit — sive quos Elea domum reducit — Flebili sponsae iuvenemve raptum Plorat. Que* vero nullum hic locum habet, ut mirer hic tot editoribus somnum obrepsisse. Iam autem, ut DIV in PRIVS mutaremus, et vocum similitudo, praesertim ubi *prius* compendiose scribitur, et ipsa sententia monuerunt. Hoc enim voluit Flaccus: Quae *ab omni aevo* sterilis palus fuerat, nunc exsiccata segetes fert. Atqui in hac sententia rectius *prius palus* dixeris quam *diu*. Noster Carm. I, 3. *Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum. Prius semoti*, nempe ab ipsis humani generis primordiis. Ovid. Metam. I, 135. *Communemque prius, ceu lumina solis et auras, Cautus humum longo signavit limite mensor.* et II, 174. *Quaeque polo posita est glaciali proxima serpens, Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli, Incaluit.* Pone iam in his locis *diu* pro *prius;* versus quidem aeque utrumque recipiet, sententia non item. Quippe *diu* fuisse dicuntur, quae a longo tempore sic erant, vix quae ab omni: *prius* vero utrique sensui ex aequo convenit. Virgil. Georg. III, 362. *Concrescunt subitae currenti in flumine crustae, Undaque iam tergo ferratos sustinet orbes, Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.* et

Res gestae regumque ducumque et tristia bella,

Aeneid. X, 123. *innabant pariter fluctusque secabant, Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.* Cum autem *prius* a dormitante Librario in *diu* mutatum esset, *sterilisque palus diu aptaque remis;* reliquum erat, ut proximus exscriptor ipsius, ut putabat, versus gratia verba illa inverteret. BENTLEIVS.

Columna quoque, ad Ennium pag. 163. *palus* tamquam *plus* pronuntiabat. Sed Bentleius optime de tota re disputavit. Post Bentleium alii alias emendandi vias tentarunt. Notum est, quid Marklandus in Eurip. Supplic. pag. 262 voluerit: *Sterilisve palus pulsataque remis.* Errore scriptum putabat primum *sterilisve palus palus aptaque remis*, deinde omissum *palus* alterum, et, metri scilicet causa, interpolatum *sterilisve diu palus aptaque remis.* Burm. ad Propertii IV, IX, 8. formulam *vada pulsa* illustrat. Propertius dixerat: *Hac quondam Tiberinus iter faciebat: et aiunt Remorum auditos per vada pulsa sonos.* Exstant quoque aliorum coniecturae, ut Cuninghami *versataque* vel *dudum actaque.* Withofius, in annotatione subiecta Orationi de Telchinibus pag. 52. corrigit: *Sterilisve palus Pomptina racemis Vicinas urbes alit.* In quo neque recte omittitur *diu* vel simile adverbium; et Horatius tum pro *alit* potius scripsisset *iuvat:* quia *uvae* non adeo ad urbes *alendas* faciunt. Sunt, qui vulgatam lectionem securi amplectantur, nec quantitate ultimae syllabae in *palus* sollicitentur. In his C. Fea sic contra Bentleium argumentatur: Bentleius ipse fatetur veteres Grammaticos legisse *palus* ultima correpta, atque ex hoc versu suam eruisse regulam. His adde, inquit, Quintil. I, VII, 3. qui non dubitat asserere, ut notum, quod *malus* aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat; et cum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus. Carolus Fea non recte argumentatus est. Nam Bentleius contendit auctoritatem grammaticorum esse nullam, qua regulam istam ex unico Horatii exemplo finxerunt, eoque corrupto. Quintilianus autem nihil asserit, quod ad rem praesentem ullo modo pertineat. Apparebit, si locum integrum apposuero: *Ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit: ut* malus, *utrum* arborem *significet, an* hominem non bonum, *apice distinguitur.* Palus *aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat: et cum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus.* Voluit nimirum Quintilianus, ut utar nostris distinguendae quantitatis signis, *pālus* aliud significare quam

Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

pălus, idque etiam cerni in ultima syllaba *palūs* et *palus*. Quintilianus adeo confirmat ultimam in *palus*, (*paludis*) produci. Versus Horatii iam mature transpositis male vocabulis videtur esse corruptus. Sunt in MSS. aliae varietates apud Feam: *actaque remis*, *attaque*, *altaque*, quod proxime accedit ad Marklandi *pulsataque*. Sed aegre adverbium temporis desidero. Nihil melius novi quam Bentleianum *palus prius*. Conieceram *Sterilisve palus olim aptaque remis*. DIV et OLI non multum differunt. Et in *palus* est eiusdem fere soni syllaba *alu — oli*.

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis. Commentator legisse videtur *ceu*. Hoc monstrat interpretatio *veluti*. D'Orvillius ad Charit. pag. 673, narrat se in Francia codicem vidisse, in quo scriptum erat *Arnus* pro *amnis*, cum nota *fluv*. Licet Arnus revera quasdam in alveo subierit mutationes, vel saltem in vicinis confluentibus, non tamen hanc lectionem pro vera habet.

Mortalia facta peribunt. Spondere tibi ausim, me inhonestissimam labem ex hoc loco abstersurum; in quo, ubi Noster magnifica et praeclara Regum opera enumerasset, hoc epiphonemate sententiam claudit, *mortalia facta peribunt*, *Nedum sermonum stet honos et gratia vivax*. Belle sane, o Librarii; nimirum ut antithesis illa venuste exeat, *facta* et *sermonum*. Portus inquit, invitis Neptuno et Tellure facti, paludes siccatae, flumina in novos alveos deducta, hae moles stupendae longo aevo fatiscent: denique, ut verbo dicam, mortalia *facta*, hoc est, strigiles, opinor, et calcei peribunt. Quid mirum si voces ore et spiritu in auras difflatae pereant, cum manibus *facta* nempe ollae et cacabi intereant? Satin' hoc tibi placet? putasne Nostrum tam nullius iudicii, ut post illa ingentia quasi maius aliquid et mirabilius *facta* ingereret? Quid quod *facta* ne Latinum quidem in hac sententia est; sed *opera*. Livius I, 2. *Secundum inde proelium Latinis, Aeneae etiam ultimum operum mortalium fuit*. Lactantius VII, 15. *Nihil est humanis laboratum, quod non ab humanis aeque viribus destrui possit: quoniam mortalia sunt opera mortalium*. Seneca Epist. XCI. *Enumerare omnes fatorum vias longum est: hoc unum scio: omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt: inter peritura vivimus*. Nota illud *omnia* apud Senecam, et meo periculo hic scribe: *mortalia cuncta peribunt*, *Nedum sermonum stet honos et gratia vivax*. Quid in singulis memorandis moror? uno verbo, cuncta mortalia peribunt; nedum ut sermones sint vivaces. *Mortalia* autem absolute et quasi substantive ponitur, ut Virgil. Ecloga VIII. *Nec curare Deum credis mortalia quemquam*. et Aen. I, 466. *Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt*. Ovid. Metam. XIII, 70. *Adspiciunt oculis superi mortalia iu-*

Versibus impariter iunctis querimonia primum,

stis. Recte quoque *mortalia cuncta;* ut Prudentius Psychom. v. 493. *Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta Occupat*. Idem contra Symmach. I, 429. *et orbi Imperitas, et cuncta potens mortalia calcas*. et II, 601. *Miscebat Bellona potens mortalia cuncta*. et 657. *nam cum mortalia cuncta vetustas Imminuat; mihi longa dies aliud parit aevum*. Ubi ipsam plane Flacci sententiam habes, *Vetustas cuncta mortalia imminuet*. Ammian. Marcell. XXIII, 6. de Abiis loquens: *Abii, genus pissimum calcare cuncta mortalia consuetum*. Et XXV, 4, de Iuliano: *Opum contemtor, mortalia cuncta despiciens*. Tacitus Annal. XIV, 54. *Quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet*. Et ibidem I, 72. *Cuncta mortalium incerta, quantoque solus adeptus foret, tanto se magis in lubrico*. Ceterum iam dudum hoc ex coniectura ita emendaveram, et cum amicis nonnullis communicaveram; cum postea in manus meas venit Codex Galeanus, qui CVNCTA sine ulla litura sex literis exaratum habet. Ceteri quidem omnes cum vulgatis faciunt, neque adeo mirum si *cuncta* compendiose scriptum in *facta* transiret; praesertim cum arrideret nasutulis interpolatoribus bellum illud, ut videbatur, antitheton, *facta* et *verba*. BENTLEIVS.

Mira res coniecturalis Critica. Bentleius dicit: *Spondere tibi ausim me inhonestissimam labem ex hoc loco abstersurum;* et: meo periculo hic scribe *mortalia cuncta*. Parum abfuit, quin ego dixerim: scribe meo periculo *mortalia saecla*. Hoc mihi coram tali Britanno sumere non audebam. Intuere tamen literarum ductus, et FACTA a SAECLA minus discedere fateberis, quam FACTA a CVCTA, et, si non minus, certe haud magis. Iudicandum igitur, utrum melius ad sententiam faciat. Si Bentleium sequeris, Horatius hoc dicit: Nos et nostra debemur morti: conde opera stupenda, muta faciem naturae, cuncta illa opera peribunt, nedum sermo sit immortalis. In quo mihi hoc non placet, quod, quum Horatius posuisset in principio *nos et nostra*, nunc tantum *nostra* exemplis illustrat, *nos* autem, quod praecipuam vim habet, quia *homines* pluris sunt quam *opera* hominum, omittit. In fine sententiae omnino requiritur gravius argumentum, quo probetur, non esse mirum, si sermo non sit immortalis. Atque hoc consequemur, legentes: *Mutamur formam nos nostraque, sive receptus Terra Neptunus classes aquilonibus arcet, Urbis opus, sterilisve palus olim aptaque remis Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum, Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis, Doctus iter melius: mortalia saecla peribunt, Nedum sermonis stet honos et gratia vivax*. Quid loquor, ait, de operibus hominum manu conditis? Ipsi homines, suis istis operibus longe maiores, peribunt: et spe-

Post etiam inclusa est voti sententia compos.

remus immortalitatem sermoni? Horatius in omni hac comparatione cogitavit Homericum illud: *Οἵηπερ φύλλων γενεή, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει. ἄλλα δέ θ' ὕλη Τηλεθόωσα φύει. ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη. Ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡδ' ἀπολήγει. Saecla mortalia* est antiquae Latinitatis, servatae apud Lucretium. Exempla indicavit Forbigerus ad II, 503. Ad Horatium inprimis pertinent II, 71. *quae decedunt corpora quoique, Unde abeunt, minuunt, quo venere, augmine donant: Olla senescere, at haec contra florescere cogunt. Nec remorantur ibi: sic rerum summa novatur Semper, et inter se mortales mutua vivunt. Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur; Inque brevi spatio mutantur saecla animantum.* Et V, 986. *mortalia saecla Dulcia linquebant lamentis lumina vitae.*

Multa renascentur, quae iam cecidere. Quintil. Inst. Orat. VIII, 2. » *Atqui ei contrarium est vitium id, quod apud nos* improprium, *ἄκυρον apud Graecos vocatur: — qualia nunc laudantur a quibusdam, quorum est* de cruce decernere, verba ceciderunt." Fortasse tamen Quintilianus aliam verbi significationem spectavit.

Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi. Haec nemo sollicitavit praeter Wakefieldum, qui corrigebat: *Quem penes arbitrum est et ius et norma loquendi.* Hoc si in omnibus MSS. legeretur, nemo non emendaret *arbitrium.* Illud *arbitrum* plane otiose ponitur. Dictum oportuisset: *Quem penes arbitrum et iudicem est norma loquendi. Arbiter et iudex, arbitrium et ius*, inprimis ita coniuncta, differunt. Pro *et*, *ius* in multis MSS. et editionibus legitur *et vis.* Error scribendi, ex simili literarum concurrentium figura natus.

Quo scribi possent numero. MSS. quaedam *possent scribi*, quaedam *metro.* Ac de transpositis vocabulis hoc iterum dicendum est. Nullum fere invenies versum, ubi salvo metro fieri possit, eodem plane verborum ordine compositum. Ita, v. c. vs. 135. habemus *unde pedem proferre pudor* et *unde pudor proferre pedem.* vs. 138. *quid dignum tanto feret hic* et *quid tanto feret hic dignum — quid feret hic tanto dignum.* vs. 174. *castigator censorque* et *censor castigatorque.* vs. 228. *regali conspectus in auro nuper et ostro* et *in ostro nuper et auro.* vs. 261. *aut operae celeris nimium* et *operae nimium celeris.* vs. 313. *quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes* et *frater et hospes amandus.* Mitto alia plurima exempla. Tanta varietas in nullo alio scriptore, in nulla Horatii Satyra vel Epistola accidit. Haec nimirum Epistola ad Pisones omnium manibus, in scholis quoque, terebatur. Hinc multa exemplorum millia describebantur, et, quo saepius describebantur, eo plures errores irrepebant: conferatur H. Cannegieterus in Rescriptis Boxhornio de Distichis Catonis pag. 378, qui praeterea totum hoc argumentum peculiari Dissertatione illustravit. Atque haec ideo scripsi, quia multa Horatii loca facili vocabulorum transpositione explicare conatus sum. Quod ad *metro* attinet, hoc non modo pronuntiatione sed etiam literarum forma prope ad *numero* accedit, et oriri potuit ex glossa.

Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabios armavit iambo:

Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor. Stephanus in Diatr. p. 59. *inveneris auctor.* Atque *inveneris* vel *invenerit* melius iudico, quam *emiserit.* Librum *emittere* significat *in lucem edere*, quem adhuc intus domi retinueris. Illud *emittere* habet sententiam magis propriam aetati recentiori, quam vetustae, quum nova metra inveniebantur, et poetae non adeo libros emittebant, sed carmina recitabant. *Auctor* saepe idem est ac *scriptor*, ita ut non magis recte ponatur de Polymnesto Colophonio, inventore, quam de Callimacho, elegorum scriptore. Si Horatius verbo *emiserit* fuisset usus, addidisset aliquid *auctori*, quo ambiguum tolleretur, v. c. *quis tamen hos princeps elegos emiserit auctor.* In MSS. quibusdam apud Feam legitur *elegos commiserit.* Hoc lubens accipio. Homerus hexametros invenit. Alter hexametro addidit alternum pentametrum. Versus ita impariter commissi vel iuncti vocantur Elegi. *Committo Elegos* ex metro hexametro et pentametro — facio elegos ex commissis hexametro et pentametro; utrumque Latine: prius etiam exquisitius. *Committere* idem plane est atque *iungere.* Virgil. Aeneid. III, 420. *pistrix Delphinum caudas utero commissa luporum.* Plura interpretes ad Ovid. Metam. IV, 259, et Claudiani Rapt. Proserp. I, 232. Manilius I, 409. *duplici Centaurus imagine fulget, Pars hominis, tergo pectus commissus equino.* quem locum nuper explicavi ad Virgilii Aeneid. VII, pag. 57. Ad eam rationem dicere possis *Elegi, pentametros commissi hexametris.* Quis Elegos *ita commisit?* Grammatici certant. Eadem loquendi consuetudo obtinet in verbo *iungere* et *coniungere. Iungo naves*, ex variis partibus compono, *iungo amicitiam, foedera*, alia, quae librarii saepe non intelligentes mutarunt in casum ablativum *amicitia, foedere.* Vide interpretes ad Liv. XXXV, 12. Valer. Flacc. I, 123. et Silium Ital. V, 553. *El gi* autem cur appellentur *exigui*, bene exposuit Santenius ad Terentianum Maurum pag. 311 sq.

Archilochum proprio rabies armavit iambo. Versus in uno Leid. MS. omissus, negligentia librarii. Barthius corrigebat *propero.* Minus eleganter. De *celeritate* pedis deinde satis exponitur.

Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et iuvenum curas, et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere, malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter:

Alternis aptum sermonibus, et populares Vincentem strepitus. Potuisset Horatius scribere *vincendo strepitus.* Sed *vincentem* praetulit. Postquam scilicet usu didicerant *iambum vincere strepitus*, carmini dramatico assignatus est et mansit.

Poeta salutor. Unus inter multos et miros errores principis editionis Venetae hic est, ut pro *salutor* expressum sit *salvator.*

Singula quaeque locum teneant sortita decenter. Codex inter Blandinios vetustissimus cum altero apud Cruquium, et Vigorniensis noster, *Singula quaeque locvm teneant sortita decentem.* Elegantius meliusque. Sic alibi Noster, *decens Venus, decens iuvenis, decens motus, decentes Gratiae, decentes malas.* Certe et hoc pacto compositio dulcior est, et τὸ *sortita*, prout par est, active sumetur; cum, si *decenter* legeris, vix est ut non passive contra morem accipiatur. BENTLEIVS.

Ego hic neque *decenter* neque *decentem* probo. Horatius loquitur universe de dictione Tragica et Comica. Haec unice convenit Tragoediae, illa unice Comoediae. Igitur suum quaeque sortita locum teneat. Discerne inquit, in dictione omnia, omnia sortiantur et teneant locum. In *sortita* cernitur iudicium poetae. Omne, quod ita locum tenet, suo loco positum est, adeo ut *decentem* plane sit otiosum. Atque hoc magis in oculos incurrit, si cogites, quod Neerlandi dicimus *singula locum tenent.* Ita ipse Horatius in hac Epistola vs. 19. *Sed nunc non erat his locus.* Serm. II, I, 44. *Necdum omnis abacta Pauperies epulis regum. nam vilibus oris Nigrisque est oleis hodie locus.* Epist. I, v, 28. *locus est et pluribus umbris.* Semel addidit *suus* Serm. I, IX, 51. *Ditior hic, aut est quia doctior, est locus uni Cuique suus.* Ut nemo Latine diceret *est suus cuique locus decens*, ita nec in versu, quem tractamus, *decenter* vel *decentem* requiritur. Sed idem illud *decenter* in altera parte sententiae, quae est exceptio a communi regula, requiritur. Posuerat Horatius: res comica non vult exponi versibus tragicis, tragica non comicis; hoc est, quod Cicero de Optimo genere Orat. 1, scripsit: *In Tragoedia comicum vitiosum est, in Comoedia semper tragicum.* His positis, subiungit exceptionem: interdum tamen iratus Chremes utitur sermone tragico, Telephus exsul et pauper, pedestri. Tale praeceptum exceptionis non sufficit: nisi magister iudicium addat, utrumne Chremes et Peleus hoc recte faciant, nec ne. Fortasse dices Horatium addidisse iudicium in vs. 98. *Si curat cor spectantis tetigisse querela.* Sed de his aliter, quam vulgo fit, censeo: praeterea de Chremete nihil additum. Quare, mutata distinctione, scribendum arbitror: *Singula quaeque locum teneant sortita: decenter Interdum tamen et vocem Comoedia tollit.* Regula est certissima: Comoedia et Tragoedia suum quaeque habet sermonem. Interdum tamen haec regula negligitur, et Comoedia vocem tollit; ac recte quidem, si Chremes loquitur iratus.

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus et Peleus, quum pauper et exsul uterque,

Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri. Comoedia et *interdum tollit* — et Tragoedia *plerumque dolet*, sibi invicem manifeste respondent; hoc indicat duplex *et*, hoc est, non modo Comoedia, verum etiam Tragoedia. *Plerumque* saepe significat fere idem quod *interdum.* Negavit hoc quidem Bentleius ad Horatii Carm. I, XXXV, 6: sed recte refutatus est a Walchio ad Taciti Agric. pag. 108. *Plerumque* tamen, ut idem bene observat, habet vim positive aucti; ergo plus est quam *interdum.* Equidem hic non amo repetitum adverbium, minus quoque repetitum non plane eiusdem significationis. Horatius, meo iudicio, scripsisset melius: *Est et ubi Tragicus doleat sermone pedestri.*

Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque. Locus hic ab omnibus interpretibus perperam intellectus est; *Interdum tamen et vocem Comoedia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore: Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri. Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque, Proiicit ampullas et sesquipedalia verba.* In hac certe distinctione *Tragicus* est ipse Poeta; et sic enarrat Scholiastes Cruquii,

Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,

Scriptor Tragoediarum. Atqui inepte quispiam dixerit, Poetam in Tragoedia dolere; quippe qui nunquam ex persona sua loquitur. Vidit hoc, ut opinor, Cl. Dacierius: et idcirco *actorem* hic interpretatur, non *scriptorem* Livius quidem Aristonem quemdam *Tragicum actorem* memorat; verum nemo *actorem* absolute *Tragicum* dixit, sed *Tragoedum*. Tu lege et distingue: *Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri Telephus aut Peleus: cum pauper et exsul uterque Proiicit ampullas et sesquipedalia verba.* Ubi constructio est, *Tragicus Telephus* aut *Tragicus Peleus* plerumque humili sermone dolet. Noster Serm. II, v, 91. *Davus sis comicus.* Cicero in Pisonem 20. *Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem?* Appuleius in Apologia: *Quamquam teterrimum os tuum minime a Thyesta tragico demutet:* ubi frustra sunt, qui *Thespi* aut aliud nescio quid reponunt. Ita *Comici servi*, *Comici senes*, apud Plautum. Propertius IV, v, 44. *Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri. Cum ferit astutos comica moecha Getas.* Caecilius Epiclero apud Ciceronem in Laelio 26. *Hodie me ante omnes comicos stultos senes Versaris atque luseris lautissime.* Ubi pro *luseris* Palatinus primus Codex habet *unxeris:* unde corrigo certissime: *Versaris atque emunxeris lautissime.* Litera M tantum superne notabatur, E a praecedente absorbebatur: vides inde mendi initium et progressum. Recte igitur apud Nostrum coniunximus *Tragicus Telephus:* et agnoscis credo pulchram oppositionem. In Comoedia iratus *Chremes* tumido, in Tragoedia *Telephus* pauper humili sermone utitur. *Aut* vero pro *et* adscivimus, sententia iubente, licet abnuant Librarii: sic infra vs. 104. *Telephe vel Peleu:* et Cicero, ut iam vidisti, *Oresta aut Athamante.* BENTLEIVS.

Horatius non dixit simpliciter *dolet*, sed *sermone pedestri dolet*, hoc est, in tragoedia et persona dolente poeta utitur sermone pedestri, sive, ut recte Commentator: *dolores scribit et exponit.* Loquitur nimirum de *arte*, qua poeta fabulam componit. Tunc poeta omnia facit, quae actori mandat et committit. Ipse Horatius Epist. I, III, 14, de amico suo: *Qui Tragica desaevit et ampullatur in arte.* Ibi poeta *ampullatur.* Hic, vs. 97. persona *proiicit ampullas.* Iuvenal. Satyr. VI, 635. *Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.* Quintil. Instit. Orat. X, I, 68. *Euripides in affectibus cum omnibus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus.* Si poeta in Tragoedia nunquam dolet, etiam non habet affectus, et Quintilianus dicere debuisset: personae tragicae Euripidis in affectibus sunt facile praecipuae.— *Tragicus* est aliquis *in Tragoedia*, ut *Peleus tragicus* est *Peleus* qualis in Tragoedia inducitur; interdum et Tragicus est ille qui personam agit, actor. Plautus Persa IV, II, 4. *Sed satin' estis meditati?* SA. *Tragici et Comici Nunquam aeque sunt meditati.* Ubi *Tragici* manifeste sunt *Tragoedi*, quod ex sententia apparet, et ex simili loco Poenul. III, II, 4. *Quin aedepol condoctior sum, quam Tragoedi aut Comici.* Ubi appellat *tragoedos*, quos in Persa appellavit *tragicos.* Poeta autem sic neque meditatur, neque docetur, sed *docet.* Actores discunt partes, quas tueri debent. Adde Petronii Satyr. cap. 132. *Quid? non et Ulyxes cum corde litigat suo? Et quidem Tragici oculos suos tamquam audientes castigant.* Ubi scribendum puto *et quidam Tragici*, hoc est, personae quaedam in Tragoedia, sive actores. Respexit, ni fallor, Petronius Oedipum Regem Sophoclis, vs. 1270. ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κυκλῶν Ἀνδῶν τοιαῦθ'. ὅθ' οὕνεκ' οὐκ ὄψοιντό νιν, Οὐθ' οἵ' ἔπασχεν, οὐθ' ὁποῖ' ἔδρα κακά. Ἀλλ' ἐν σκότῳ τὸ λοιπὸν οὓς μὲν οὐκ ἔδει Ὄψοιατ', οὓς δ' ἔχρηζεν οὐ γνωσοίατο. Fac orationem ex obliqua directam, quali Oedipus extra scenam usus est, habebis *tragicum* oculos non audientes castigantem. Duo igitur illa Bentleii argumenta stare non possunt. Quod ad oppositionem attinet, ea in vulgatis pulchrior est ac rotundior: Comoedia tollit vocem — Tragicus dolet pedestri sermone, comoedia, quum Chremes est iratus, tragicus, cum Peleus est exsul. Pro *tragicus* dicere voluit *tragoedia*, et dicere potuisset v. c. *Est et ubi doleat sermone Tragoedia noto:* sed acquievit in vocabulo *tragici*, quod et statim metro conveniebat, et idem exprimebat. Verum igitur censeo: *Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque Proiicit ampullas et sesquipedalia verba.* Atque melius distingues ita, ut *uterque proiicit* coniungantur, quam *pauper et exsul uterque.* Praeterquam enim quod *uterque proiicit* rectius sese habet, quam *Telephus et Peleus proiicit*, adiectiva probe discernenda videntur, et *pauper* referendum est ad *Telephum*, *exsul* ad *Peleus.* Telephus in Fragmentis fabulae Euripideae saepe *pauper* appellatur, nunquam *exsul.* Euripides Telephum fecit πήραν ἔχοντα καὶ προσαιτοῦντα, teste Schol. Aristoph. Nub. 923. Ipse Telephus, ut ex parodia Aristophanea constat, dicit Λεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον. Idemque Aristophanes habitum et vestitum Telephi *mendici*, ut ab Ennio vocatur, non semel ridet. Euripides etiam *claudicantem* induxit. Atque ista Telephi paupertas fere in proverbium abiit. Fertur enim illud Timoclis: ὁ μὲν γὰρ ὢν πένης Πτωχότερον αὑτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον Γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾴον φέρει. Welckerus in libro de Graecis Tragoediis, in Museo Rhenano a. 1839. T. II. pag. 492. disputavit etiam de Telepho Euripideo, et ex libro Jacobi Geelii de eodem argumento praecipua excerpsit, suaque nonnulla

Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,

adiecit, in quibus et hoc: » Telephus *exsul* neque ex poetis cognitus est, neque caussa exsilii ex Mythologia confici potest. Fortasse igitur *exsul* apud Horatium non proprie accipiendum. Telephus, qui, nisi in Graecia, sanari non posset, a fato ex Mysia discedere coactus et *quasi in exsilium ejectus est.*" Difficultas, credo, est sublata, si verba Horatii sic, ut feci, interpretemur, tamquam legeretur: Telephus et Peleus, ille *pauper*, hic *exsul*, uterque abiicit ampullas. Wyttenbachius pro *cum* volebat *cur:* ut esset interrogatio negans: sententiam enim requirere negationem. Accepisse videtur *proiicit* non pro *abiicit*, sed *in medium fert.*

Si curat cor spectantis tetigisse querela. Prius quam hic aliquid mutem, dicendum est, cur vulgata non placeant. Inspice iterum sententiam: Est oratio, unice propria Comoediae, est, Tragoediae: interdum tamen in Comoedia recte ponitur aliquid tragicae, in Tragoedia aliquid comicae orationis. Chremes iratus loquitur ore tumido, Peleus et Telephus, hic pauper, ille exsul, loquuntur ore humili. Hic sententia explicit. Nihil amplius desideratur. Quidquid adieceris, est supervacuum. Deinde aliquanto plus requiritur ad *cor spectatoris tangendum*, quam quod Peleus, pauper et exsul sermone pedestri utatur. Si quis putet esse praeceptum de convenientia sermonis cum statu personae, ei respondeo hoc nunc non agi, et Horatium illud explicavisse separatim et universe in sequentibus, inde a vs. 201. Neque intelligo, cur illud epiphonema *si curat cor spectantis tetigisse querela* soli tragoediae addiderit, cum simile aliquid haud minus ad comoediam fuisset referendum. Quare minime dubito, quin Horatius scripserit: *Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque Proiicit ampullas et sesquipedalia verba. Si curas cor spectantis tetigisse querela, Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto* sq. Novum hic incipit praeceptum de eo, quid animos spectatorum commoveat, de praecipuo Tragoediae et Comoediae consilio. *Si curas*, si quis curat, si scriptor, si vos o Pisones curatis.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto. Anxios et sollicitos merito habuit hic locus interpretes; cum obscura sit, quam ponit oppositio inter *pulchra* et *dulcia*. Pulchrum enim quascumque carminis virtutes, etiam ipsam dulcedinem in se continere iure videatur. Noster Serm. I, 10 de Lucilio: *Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera: nam sic Et Laberi mimos et pulchra poemata miror.* Ubi vides *pulchra*, et facetum quod Lucilio tribuitur, et *cetera* omnia comprehendere. Epist. II, 1, 72. *sed emendata videri Pulchraque, et exactis minimum distantia miror.* Plerique *pulchra* ita *dulcibus* opponunt, ut illa sint alta, elata splendidis et magnificis verbis micantia.

Et, quocumque volent, animum auditoris agunto.

Quid autem? an non et exiles Elegi in suo genere pulchri esse potuerunt? Neque vero de cothurno solum Tragico, sed de Comoediae socco et sermone pedestri iam verba fecerat Noster; ut τὸ *pulchra* utrique stilo tam tenui quam grandi ex aequo convenire oporteat. Achilles Statius, qui huic libello eruditam operam impendit, *pulchra* accipit, quibus vis boni in ipsa forma est, sed nullus adest cultus et ornatus: deinde et Dionysium Halicarnassensem in partes citat, qui τὸ ἡδὺ in oratione separat ἀπὸ τοῦ καλοῦ, plane ut noster *dulce* a *pulchro*. Vix tamen se extricat; neque ego Lectori, quid ex his sequatur et praeferat, praecipere volo. Novam tantummodo lectionem ex Vigorniensi Codice producam, quae sic habet: *Non satis est pura esse poemata, dulcia sunto, Et quocumque volent animum auditoris agunto:* a prima manu in contextu erat *pulchra:* postea per rasuram *pura* repositum est, et *pulchra* inter lineas pro varia lectione relegatum. Ergo hic, quicunque fuit, in alio exemplari *pura* invenerat, et priori lectioni praetulit. Videamus quid sit, et quam apte cum praecedentibus cohaereat. Dixerat iam Noster, Telephum et Pelea, qui pauperes et exsules inducuntur, non poeticis et sesquipedalibus verbis, sed pedestri et civili sermone uti. Recte hoc et ex decoro: sed addit tamen continuo: *non satis est pura esse poemata: dulcia sunto.* Nondum autem de iisdem loqui desiisse, sequentia persuadent; ubi eosdem compellat vs. 104. *Telephe vel Peleu: male si mandata loqueris.* Ergo hoc vult: Non satis est, ut puris et civilibus verbis utatur Telephus; etiam dulcibus loquatur, quae affectus moveant, quae auditoris animum quocumque volent, ad misericordiam, indignationem, dolorem, fletum rapiant. Iam autem *pura* perinde esse ac *civilia*, *popularia*, *quotidiana*, locus insignis apud Nostrum tibi ostendet, quem nescio an ullus Interpretum recte assecutus sit, Serm. I, IV, 54. ubi de stilo Comoediae agit: *num quid Pomponius istis Audiret leviora, pater si viveret? ergo Non satis est puris versum conscribere verbis.* (Nota illud, *Non satis est puris*, plane ut hic, *Non satis est pura esse.*) *Quem si dissolvas; quivis stomachetur, eodem Quo personatus pacto pater.* Ubi liquido accipiendum est *puris*, *usitatis*, *non poeticis*, quibus quivis de plebe pater, ubi filium stomachans obiurgat, pariter utatur. Apud Gellium XIII, 28. sugillaverat quidam illud Claudii Quadrigarii *mortalibus* pro *hominibus multis*, tamquam nimis poetice dictum: cui Fronto ibi respondet: *Nihil autem arbitrare caussae fuisse, quod vir modesti atque puri ac prope quotidiani sermonis* Mortalibus *maluit quam* hominibus *dicere?* Auctor ad Herennium IV, 8. ubi de tribus orationis generibus sive figuris agit: *Gravis est*, inquit, *quae constat ex verbo-*

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent

rum gravium laevi ac ornata constructione: Mediocris est, quae constat ex humiliore, neque tamen ex infima et pervulgatissima verborum dignitate: Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem. Caesar de Terentio: *Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander, Poneris, et merito; puri sermonis amator: Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis.* Ubi *puri* et *lenis* accipias, non tumidi, non inflati; non poetica. Sic *lene* et *purum* coniunxit ipse Terentius, Prologo Heautont. *Si quae laboriosa est, ad me curritur; Si lenis est, ad alium defertur gregem. In hoc est pura oratio.* Quam hic *puram* vocat orationem, alibi *tenuem* ac *levem* appellat, Prologo Phorm. *Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas Tenui esse oratione ac scriptura levi.* Verum illic ex sua, hic ex adversarii persona loquitur; qui, ut aemuli et invidi solent, virtutem orationis finitimi et propinqui vitii nomine traducit. Satis tamen ostendit, quid *purum* sit, cui confine et proximum vitium est *tenue* ac *leve*. Hanc ergo, cui recepta non satisfacit, Vigorniensis Codicis lectionem sequatur: nos, ut nihil pronuntiamus, ita non poenitebit in medium eam protulisse, et pro modulo illustrasse. BENTLEIVS.

Oppositio inter *pulchrum* et *dulce* non est obscura. Ipse Bentleius *dulcia* recte interpretatur, modo omisisset *indignationem:* nempe » dulcia, quae affectus moveant, quae auditoris animum, quocumque volunt, ad misericordiam, indignationem, dolorem, fletum rapiant." Gesnerus ita explicavit, ut non melius fieri potuisse arbitrer: » *Pulchra*, quae placent recto iudicio, certe vitium non habent: *dulcia*, quae afficiunt animum. Ita *formas* nobis narrant ἐρωτικοὶ homines alias *pulchriores*, admirationem solam moventes, *dulciores* alias, imperantes amorem. Gallice dicendum est, ut etiam belli homines intelligant: *La Beauté est pour l'Esprit, la Douceur est pour le Coeur.*" Haec Gesnerus. Et vere carmen esse potest *pulchrum*, nec tamen *dulce*, esse potest *dulce*, nec *pulchrum*. Horatius ipse hoc significavit vs. 319. *Interdum speciosa locis morataque recte Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte, Valdius oblectat populum meliusque moratur, Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.* Fabula sine venere, pondere et arte non sane est *pulchra:* eadem tamen est *morata*, ingenia hominum ad naturae veritatem exprimit. Natura in tali fabula regnat, non ars. Poeta, ut nunc dicimus, ex corde ad cor loquitur. Ennius componebat carmina non *pulchra*, sed *dulcia;* erat arte rudis, sed ingenio maximus, ut eum appellat Ovidius. Versus Apollonii Rhodii sunt *pulchri*, non *dulces*. Similia exempla sunt in historia poeseos apud omnes nationes, in patria quoque

Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est

nostra. Compara Vondelium cum limatis istis ex schola et docta societate poetis, qui post cum vixerunt. *Pulchrum* igitur non simul continet *dulcedinem*, ut neque in loco Horatiano *caetera*, de Lucilio, dulcedinem continent. Quid enim? Lucilius erat scriptor Satyrarum, et quidem acerrimus. Iam in Satyra non est *dulcedo*, sed omnia alia, a dulcedine quam maxime remota. Cum Horatius hic alloquitur *Telephum* et *Pelea*, nominibus quidem utitur iisdem, quibus usus est antea, sed exempli caussa: vult enim, *tunc infortunia personae alicuius tragicae me laedent.* Appellat prima nomina, quae ei in mentem veniebant, quae proxime praecesserunt. Potuisset sane appellare alia, v. c. *Oedipe sive Hecuba.* Iam *Telephus* et *Peleus* non inducuntur tamquam pauper et exsul in tota Tragoedia, sed in particula Tragoediae. Tunc, in illa particula, in illo actu, personae istae utuntur Sermone pedestri, ut Chremes tantum Sermone tragico, quando iratus est. Reliquae partes Tragoediae Sermone tragico sunt compositae. Si Telephus et Peleus tales in tota Tragoedia inducerentur, tota Tragoedia pedestri sermone constare deberet. Itaque non esset Tragoedia. Telephum Tragoediae argumentum fecere multi Graecorum, Agatho, Cleophon, Iophon, Aeschylus, Sophocles, Euripides, alii. Horatius Telephum Euripideum cogitasse videtur. Hoc apparet ex fragmentis quae exstant, et parodiis Aristophaneis. Loca collegit Iacobus noster Geelius in elegantissima *de Telepho Euripidis Commentatione*, edita in Operibus Classis Tertiae Instituti Neerlandiae Regii. Discimus ex Scholiasta Aristoph. Nub. 223. Telephum ab Euripide fuisse inductum in Scenam, in habitu *mendici*. Locus Scholiastae valde corruptus est: *Ὁ Τήλεφος βασιλεὺς ἦν Μυσίας, ὃν πλανηθέντων, ὅτε εἰς Τροίαν ἀπήρχοντο, καὶ τῶν Ἑλλήνων δηούντων τὴν αὐτοῦ γῆν ἀντὶ τῆς Τροίας, Ἀχιλλεὺς ἔτρωσεν καὶ πάλιν ἀποροῦντα τοῦ θεραπεύσοντος, τῆς Πυθίας, ὁ τρώσας ἰάσεται, ἀνελούσης, παραγενόμενον εἰς Θετταλίαν τῷ χρησμῷ πεισθεὶς θεραπείας ἠξίωσε. δυστυχήσαντα δὲ ὕστερον πεποίηκεν Εὐριπίδης ἐν δράματι, πήραν ἔχοντα, καὶ προσαιτοῦντα.* Locum prius emendare, deinde sententiam explicare conabor. Scribendum igitur puto: *καὶ δηούντων τὴν αὐτοῦ γῆν τῶν ἀντὶ τῆς Τροίας Ἑλλήνων:* et, *ἔτρωσεν αἰχμῇ Πηλιάδι. ἀποροῦντι τοῦ θεραπεύσοντος, τῆς Πυθίας ἀνελούσης »ὁ τρώσας ἰάσεται παραγενόμενον εἰς Θετταλίαν" τῷ χρησμῷ κ. τ. λ.* Achilles Telephum vulneravit hasta Peliade. Telepho non invenienti qui ipsum curaret, quum Pythia respondisset, » qui vulneravit, medebitur, si in Thessaliam veneris", oraculo parens Telephus, valetudinem recepit. Hunc Telephum postea Euripides, mutata historia, finxit infelicem, et

Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,

cum pera mendicantem in Tragoedia induxit. *Ὁ τρώσας* non est Achilles, sed *hasta Pelias*. Hastae *Peliadis* omnes fere nomen in hac re usurpant. Vide Burman. ad Anthol. T. I, p. 83. et Propert. II, 1, 65. Munckerus ad Hygin. p. 161, optime in Aeliani Hist. Anim. I, 5, pro *τῇ Πηλείτιδι βολῇ* restituit *Πηλειάδι*. Melius tamen *Πηλιάδι*. Vide Iacobsium ad l. l. Aeliani. Et quantitas, a poetis Latinis semper observata, facit pro *Πηλιάδι*. Ut et *Πηλείδης* et *Pelides* penultima producta, sic a *Πηλιάς* est *Pelias*, eadem correpta. Apponam versus Ovidii ex Remed. 47. *Vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.* Atque hasta illa adeo erat nobilitata, ut *Πηλιὰς ἰδίως τὸ τοῦ Ἀχιλλέως δόρυ* significaverit. Vide Hesychium. Neque minus celebratum est oraculum, quod ipsam *hastam*, non Achillem volebat, ut interpretabatur Ulysses. Hinc emendandus Schol. Theocrit. Eidyll. XII, 25. *Ἐὰν γὰρ καὶ λυπηρόν τι ἢ δηκτικὸν δράσῃς, ὁ λόγος ὁ τρώσας ἰάσεται.* Legendum: *τὸ τοῦ λογίου, sicuti in oraculo dictum est.* Hemsterh. ad Luciani Nigrin. T. I. pag. 82, volebat *τὸ τοῦ λόγου*. Euripides igitur Telephum *mendicum πεποίηκεν*, fere ut Herodotus in loco celebrato de Homero et Hesiodo dicit II, 53, *οἱ ποιήσαντες θεογονίην*. Utrum Euripides Telepho suo ab initio ad finem figuram *mendici* dederit, an, deserta veteri consuetudine, modo *regis* modo *mendici*, non constat; hoc constat, Telephum vulgo locutum esse tragice, sed *mendicum*, humiliter. Quam tragice loquatur, statim ex initio videmus, quod servavit Dionysius Halicarnass. de Composit. Verborum, pag. 105. ed. Stereot. *Ἰὼ γαῖα πατρὶς, ἣν Πέλοψ ὁρίζεται, Χαῖρ', ὅς τε πέτρον Ἀρκάδων δυσχείμερον [Πὰν] ἐμβατεύεις. ἔνθεν εὔχομαι γένος. Αὔγη γὰρ Ἀλέου παῖς με τῷ Τιρυνθίᾳ Τίκτει λαθραίως Ἡρακλεῖ. ξύνοιδ' ὄρος Παρθένιον, ἔνθα μητέρ' ὠδίνων ἐμὴν Ἔλυσεν Εἰλείθυια.* Haec certe nihil minus sunt quam *sermonis pedestris*, omnia autem poetica. Atque ipsa illa sermonis varietas, mutati subinde pro conditione, in qua Telephus spectari cupiebat, auditoribus iucunda fuit, magis fortasse quam peritis iudicibus, ut Aristophani. Sed et alia est caussa, cur *poemata pura* non verum videatur. *Pura poemata*, ut Bentleius recte exponit, sunt composita verbis *civilibus*, *popularibus*, *quotidianis*, *usitatis*, *non poeticis*. Iam talia verba decere possunt Telephum in versibus istis, ubi se *mendicum* simulat, non in toto poemate. Idem dixerat *pulchra poemata* convenire utrique stilo, tam tenui quam grandi. *Pura*, ni fallor, etiam convenire debet. Atqui *pura* semper convenit Comoediae, nunquam Tragoediae, nisi in rara exceptione. Caeterum *dulcia* verba movent affectus, sed mites; *ἦθος* habent, non *πάθος*, ut Graeci

Telephe vel Peleu: male si mandata loqueris,

magistri loquuntur, non *indignationem* aliosve affectus concitatiores. Dulce est *amabile*, *tenerum*, quod cor blando motu pertentat. Ita Virgilius Didonem fecit dicentem Aeneae: *fuit aut tibi quidquam dulce meum.* Idemque et alii *dulces natos*, *dulcem matrem*, *dulcem libertatem*, *dulcem patriam*, pro qua etiam *dulce* sit mori, appellant. Auctor ad Herennium IV, 52. *Parce, inquit, et per ea, quae tibi dulcissima sunt in vita, miserere nostri.* Quintil. Instit. Orat. X, 1, de Tito Livio: *Affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, nemo historicorum commendavit magis.* Sunt in Livio talia multa, v. c. Alba Longa vastata, Raptus Sabinarum, Iudicium Bruti. Isocratem appellare possis *dulcem oratorem*, Demosthenem non possis. Et si quisquam est, qui vehementia linguae *indignationem*, *iram*, *odium* excitare novit, is omnium iudicio est Demosthenes. Xenophon apud Ciceronem de Oratore II, 14. *dulcior est Aristotele.* Reiskius pro *dulcia* volebat *ductia.*

Et, quocumque volent, animum auditoris agunto. Quod Fea ex nonnullis MSS. notavit *ut*, hoc etiam erat in MS. Brenckmanni. Fortasse et scriptum fuit: *Ut, quocumque velis, animi auditoris agantur.* Nam et pro *volent* quaedam habent *velint.* Et in tali caussa *velle* saepius referri solet ad *scriptores*, quam ad *scripta.* Cicero Orat. I, 8. *Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere.* Ubi Ernest. corrigit *velis*, non probante Spaldingio ad Quintil. Instit. Orat. II, 15. *Finem esse Rhetorices ducere homines dicendo in id, quod actor velit.* Et recte ex *dicendo* apud Ciceronem efficitur subiectum *is qui dicit*, *ὁ λέγων*. Tamen et *scripta* interdum vim subiecti habent. Cicero Topic. 10. *Sunt similitudines, quae ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt.* Quintil. Instit. II, 15. *iudicialis orationis primum et super omnia esse, persuadere iudici, et sententiam eius ducere in id, quod velit.*

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus. Legendum sine dubio, ut iam olim Michael Piccartus, Theodorus Marcilius, Tanaquillus Faber viderant, *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent Humani vultus.* Mendum in vulgata lectione satis produnt Reginensis et duo alii ex nostris, qui *adsint* habent; magis illi, qui, teste Marcilio, *adflant.* Ego vero, cum manuscriptos varii generis in Bibliotheca Vigorniensi iuvenis versarem, in Grammatico quodam anonymo versum hunc citatum obiter reperi, et clare habebatur *adflent.* Ut, inquit, *adridenti* ridentibus, ita *adflent* flentibus. Nihil certius: ut aut pervicaces sint, aut quod dicere nolo, qui ineptum illud *adsunt* ulterius tueantur

Aut dormitabo aut ridebo. Tristia moestum

tur. Plautus Poenulo V, II, 149. *Ut adflet, quo illud gestu faciat facilius.* Et Persa I, III, 72. *Et ut adflet, cum ea memoret.* Sic *adgemere, adstupere, attremere.* Statius Theb. XI, 247. *Flent moesti retro comites, et uterque gementi Adgemit.* et III, 406. *cui ficta manus proceresque, socerque Attremere oranti.* Ovidius Metam. III, 459. *Cum risi, arrides; lacrimas quoque saepe notavi, Me lacrimante, tuas.* Seneca de Ira II, 2. *Inde est, quod arridemus ridentibus, et contristat nos turba moerentium, et effervescimus ad aliena certamina.* BENTLEIVS.

In MS. Brenckm. *affint:* quod etiam ad *adflent* accedit. Et repeti solet in huiusmodi formula idem verbum. Ovidius Trist. I, III, 17. *Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat.* Et alibi: *Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos.* Auctor Panegyrici ad Pisones 47. *Flet si flere iubes, gaudet gaudere coactus.* Quo exemplo Horatianum *adflet* firmari putabat Burmann. ad Anthol. T. II, p. 691. Ipsum verbum *adflere* usu iam receptum erat. Invenitur quoque in lapide apud Gruterum. Sed etiam si nullum exstitisset usquam verbi ita compositi exemplum, hic erat pulcherrima fingendi occasio. Ipsa Natura monstrat. *Ridet* aliquis, *arrideo; Flet, adfleo.* Hoc est brevius et facilius quam *flet aliquis, cum illo fleo:* et sensum misericordiae melius exprimit, qui in ipso vinculo, quo verbum et praepositio iuncta sunt, elucet. Hinc et multa huiusmodi verba, *ad* et *cum* habentia praefixum, inveniuntur, et posterior scriptorum aetas semper nova addidit. Atque hoc ita verum est, ut, si veteres non habuissent *adflere*, ego, quamvis Neerlandus, in tali caussa fingere ausus fuissem, eoque minus dubitastem, quo plura Romani similia habent. Bentleius nonnulla ostendit, quibus unum addo *applorare*, προσολοφύρεσθαι. Lingua Graecorum, ut est componendi felicissima, abundat exemplis. Euripid. Phoeniss. 397. Καὶ τοῦτο λυπρὸν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς. Valkenaerius hoc damnat, quia repugnare videtur Analogiae, saltem usui Graece loquentium. Difficile est iudicatu de Analogia et usu, quia parva scriptorum Graecorum pars ad nos pervenit; sed si usquam sibi aliquid permittere licuit, tum licet, quando Natura, non Ars, loquitur. Scholiastes Euripideus reddit: συνανοηταίνειν τοῖς ἀνοήτοις. Quod si ipse fecerit, pulcherrime fecit. Wassenberghius, ut audivi, in Euripide scribebat συναφρονεῖν. Conveniat illud verbum melius cum Analogia et usu, vis sententiae minuitur. Euripides, credo, tum scripsisset: καὶ τοῦτο λυπρὸν, συναφρονεῖν τοῖς ἄφροσιν. Hugo Grotius versum Euripideum sic reddit: *Difficile condesipere desipientibus.* Inauditum adhuc est vocabulum *condesipere.* Fecit magnus vir, Latine ita sciens, ut nemo magis. Cur? Quia omne illud, quod ego

Vultum verba decent; iratum plena minarum;

nunc disputavi, mentis acie statim pervidebat. Valckenaerius iam laudavit vetus Scolion carmen, quod magis correctum legitur in editione Anacreontis Brunckiana: Σύν μοι πῖνε, συνήβα, Συνέρα, συνστεφανηφόρει, Σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, Συνσωφρονήσω σώφρονι.

Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi. In vitae quotidianae usu homines paullo mitiores *flenti adflent.* Si in Tragoedia me vis *flere, dole* prius ipse. Hic primum non pulchre ita repetitur *flere:* deinde *dolere* et *flere* differunt. Non omnis *dolor* fletum excitat. *Dolemus* etiam, cum irascimur. Consuetudo castigati sermonis omnino postulat si vis me *dolere, dolendum* est tibi. Sic etiam ambiguum significationis, quod nunc est in vocabulis diversis, tollitur. Scribendum puto: *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent Humani vultus: me visne dolere? dolendum est Primum ipsi tibi.* Illud *si* nasci potuit ex interpretatione: *visne, si vis. Me visne,* ut Terentius Hecyra IV, IV, 103. *visne adesse me una?* DOLERE a FLERE non multum abit. Ad confirmandam coniecturam multa habeo apta exempla, inprimis illud Ciceronis de Oratore II, 45. *Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur: nisi omnes et motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi atque inusti videbuntur.* Cicero vult omnes *eosdem* motus. Distinxit hos motus, suis quemque nominibus. Iudex *dolebit, oderit, invidebit, pertimescet, flebit, miserabitur,* si orator *dolebit, flebit,* et eosdem motus sentiet. In quo vides eum distinxisse *fletum* a *dolore.* Hoc est illud Aristotelis Rhetor. III, 7. Συνομοιοπαθεῖ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι. Eadem affectuum nomina requiruntur, ubi agitur de eodem sensu, quem quis ex ima mente in mentem auditoris transfundit. Inter *fletum* et *dolorem* saepe est discrimen; inter *fletum* et *fletum, dolorem* et *dolorem,* si significatio et sententia apparet, nullum est discrimen.

Tristia moestum Vultum verba decent. Equidem ista nunquam aequo animo ferre potui. Natura, ait, nos intus format ad laetitiam et moerorem, post lingua, animi interpres, motus animi effert. Tristem igitur *vultum* decent tristia verba. Non video quis hic locus sit *vultui.* Exspectaveram *mentem, animum.* Vulgo quidem vultus imaginem animi reddit, quamquam et fingi potest, ut fingebat Aeneas, *spem voltu simulans, premit alto corde dolorem:* sed ea est tacita imago. Vultus non utitur *verbis.* Et hic agitur de *oratione.* Ideo et mox dicit: Natura *Post effert animi motus interprete lingua,* non *interprete vultu. Vultus* hoc loco significare debebit vel *animum,* per consequentiam, vel *vultum* proprie ita

Aut dormitabo aut ridebo. Tristia moestum

tur. Plautus Poenulo V, II, 149. *Ut adflet, quo illud gestu faciat facilius.* Et Persa I, III, 72. *Et ut adflet, cum ea memoret.* Sic *adgemere, adstupere, attremere.* Statius Theb. XI, 247. *Flent moesti retro comites, et uterque gementi Adgemit.* et III, 406. *cui ficta manus proceresque, socerque Attremere oranti.* Ovidius Metam. III, 459. *Cum risi, arrides; lacrimas quoque saepe notavi, Me lacrimante, tuas.* Seneca de Ira II, 2. *Inde est, quod arridemus ridentibus, et contristat nos turba moerentium, et effervescimus ad aliena certamina.* BENTLEIVS.

In MS. Brenckm. *affint:* quod etiam ad *adflent* accedit. Et repeti solet in huiusmodi formula idem verbum. Ovidius Trist. I, III, 17. *Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat.* Et alibi: *Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos.* Auctor Panegyrici ad Pisones 47. *Flet si flere iubes, gaudet gaudere coactus.* Quo exemplo Horatianum *adflet* firmari putabat Burmann. ad Anthol. T. II, p. 691. Ipsum verbum *adflere* usu iam receptum erat. Invenitur quoque in lapide apud Gruterum. Sed etiam si nullum exstitisset usquam verbi ita compositi exemplum, hic erat pulcherrima fingendi occasio. Ipsa Natura monstrat. *Ridet* aliquis, *arrideo; Flet, adfleo.* Hoc est brevius et facilius quam *flet aliquis, cum illo fleo:* et sensum misericordiae melius exprimit, qui in ipso vinculo, quo verbum et praepositio iuncta sunt, elucet. Hinc et multa huiusmodi verba, *ad* et *cum* habentia praefixum, inveniuntur, et posterior scriptorum aetas semper nova addidit. Atque hoc ita verum est, ut, si veteres non habuissent *adflere*, ego, quamvis Neerlandus, in tali caussa fingere ausus fuissem, eoque minus dubitastem, quo plura Romani similia habent. Bentleius nonnulla ostendit, quibus unum addo *applorare*, προσολοφύρεσθαι. Lingua Graecorum, ut est componendi felicissima, abundat exemplis. Euripid. Phoeniss. 397. Καὶ τοῦτο λυπρὸν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς. Valkenaerius hoc damnat, quia repugnare videtur Analogiae, saltem usui Graece loquentium. Difficile est iudicatu de Analogia et usu, quia parva scriptorum Graecorum pars ad nos pervenit; sed si usquam sibi aliquid permittere licuit, tum licet, quando Natura, non Ars, loquitur. Scholiastes Euripideus reddit: συνανοηταίνειν τοῖς ἀνοήτοις. Quod si ipse fecerit, pulcherrime fecit. Wassenberghius, ut audivi, in Euripide scribebat συναφρονεῖν. Conveniat illud verbum melius cum Analogia et usu, vis sententiae minuitur. Euripides, credo, tum scripsisset: καὶ τοῦτο λυπρὸν, συναφρονεῖν τοῖς ἄφροσιν. Hugo Grotius versum Euripideum sic reddit: *Difficile condesipere desipientibus.* Inauditum adhuc est vocabulum *condesipere.* Fecit magnus vir, Latine ita sciens, ut nemo magis. Cur? Quia omne illud, quod ego

Vultum verba decent; iratum plena minarum;

nunc disputavi, mentis acie statim pervidebat. Valckenaerius iam laudavit vetus Scolion carmen, quod magis correctum legitur in editione Anacreontis Brunckiana: Σύν μοι πῖνε, συνήβα, Συνέρα, συνστεφανηφόρει, Σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, Συνσωφρονήσω σώφρονι.

Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi. In vitae quotidianae usu homines paullo mitiores *flenti adflent.* Si in Tragoedia me vis *flere*, *dole* prius ipse. Hic primum non pulchre ita repetitur *flere:* deinde *dolere* et *flere* differunt. Non omnis *dolor* fletum excitat. *Dolemus* etiam, cum irascimur. Consuetudo castigati sermonis omnino postulat si vis me *dolere*, *dolendum* est tibi. Sic etiam ambiguum significationis, quod nunc est in vocabulis diversis, tollitur. Scribendum puto: *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent Humani vultus: me visne dolere? dolendum est Primum ipsi tibi.* Illud *si* nasci potuit ex interpretatione: *visne, si vis. Me visne*, ut Terentius Hecyra IV, IV, 103. *visne adesse me una?* DOLERE a FLERE non multum abit. Ad confirmandam coniecturam multa habeo apta exempla, inprimis illud Ciceronis de Oratore II, 45. *Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur: nisi omnes et motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi atque inusti videbuntur.* Cicero vult omnes *eosdem* motus. Distinxit hos motus, suis quemque nominibus. Iudex *dolebit, oderit, invidebit, pertimescet, flebit, miserabitur*, si orator *dolebit, flebit*, et eosdem motus sentiet. In quo vides eum distinxisse *fletum* a *dolore.* Hoc est illud Aristotelis Rhetor. III, 7. Συνομοιοπαθεῖ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι. Eadem affectuum nomina requiruntur, ubi agitur de eodem sensu, quem quis ex ima mente in mentem auditoris transfundit. Inter *fletum* et *dolorem* saepe est discrimen; inter *fletum* et *fletum, dolorem* et *dolorem*, si significatio et sententia apparet, nullum est discrimen.

Tristia moestum Vultum verba decent. Equidem ista nunquam aequo animo ferre potui. Natura, ait, nos intus format ad laetitiam et moerorem, post lingua, animi interpres, motus animi effert. Tristem igitur *vultum* decent tristia verba. Non video quis hic locus sit *vultui.* Exspectaveram *mentem, animum.* Vulgo quidem vultus imaginem animi reddit, quamquam et fingi potest, ut fingebat Aeneas, *spem voltu simulans, premit alto corde dolorem:* sed ea est tacita imago. Vultus non utitur *verbis.* Et hic agitur de *oratione.* Ideo et mox dicit: Natura *Post effert animi motus interprete lingua*, non *interprete vultu. Vultus* hoc loco significare debebit vel *animum*, per consequentiam, vel *vultum* propric ita

Ludentem lasciva; severum seria dictu.

dictum, frontem, genas, os, inprimis *oculos*. Si significat *animum*, quatenus animus in vultu declaratur, obscurius et nimis ambigue dixit poeta, quod simplicius ac verius potuisset: *tristia moestam Mentem verba decent*. Si frons, genae, os, oculi intelligantur, sententia oritur ab ingenio totius Epistolae aliena. Nam Horatius ita loqueretur de *histrionibus et actione*. Sed ab hoc argumento tota Epistolae indoles abhorret. Non dat praecepta *actori*, sed *poetae*. Interea tamen nonnulli sic accepisse videntur, veluti Doringius, in utilissimo illo adolescentibus commentario: „*Verbis respondere debet vultus, ad omnia, quae verbis exprimuntur, compositus.*" Habet vulgata lectio etiam alia incommoda. Tristia verba decent *vultum moestum*, *vultum ludentem* lasciva. Vultus *ludens*, non dixerim. Horatius, credo, maluisset: *Ludentes lasciva*, *severos seria dictu*. Denique nominantur varii animorum affectus, ad quos verba sunt conformanda: aliter, ait, loquatur *moestus*, *iratus*, *ludens*, *severus*. Hic unum ex praecipuis animi affectibus, *laetitiam*, esse omissum, omnes, credo, mecum indignabuntur. Nemo unquam in tali disputatione omisit, neque omittere potuit, qui quidem bene cogitaverit. *Laeta* et *tristia* semper opponuntur. Scripta Ciceronis et Quintiliani exemplis abundant. Cicero de Orat. II, 51. *Nam quoniam haec fere maxima sunt, sunt in iudicum animis, aut, quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor, molestia.* Quintilianus Instit. XI, 1. *Quid enim prodest, esse verba et Latina, et significantia, et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae iudicem duci formarique volumus, consentiant? si genus sublime dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus, lactum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus?* Quae si ita sint, quemadmodum disputavi, corruptam accepimus scripturam *Tristia moestum Vultum verba decent:* pro qua reponendum coniicio: *Tristia moestum, Lactum urbana decent.* Hominem moestum decet oratio tristis, hominem laetum oratio faceta, venusta, comis, humana, hic illic iocosa, verbo *urbana*. Vocabula *tristis* et *urbanus* tam saepe ab interpretibus ad plures scriptores explicata sunt, ut actum agerem, si quid adiicere vellem. Hoc tantum: *tristis oratio*, non valde differt ab oratione *severa;* et *tristis* ac *severus* saepe iuncta reperiuntur, ut v. c. in Nepotis Epaminonda 2. qui *tristem et severum senem omnibus aequalibus in familiaritate anteponebat.* ubi plura Gebhardus. Inprimis autem nos iuvat illud Quintil. Instit. Orat. VIII. 3. *Nam primum est ut liqueat, augere quid velimus an minuere; concitate dicere an moderate, laete*

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

an severe; abundanter an presse; aspere an leniter; magnifice an subtiliter; graviter an urbane. Adspice modo ductuum convenientiam VERBA inter et VRBANA. Postea cognovi huic coniecturae non leve accedere momentum ex MS. Brenckmanni, ubi Dukerus pro VERBA legi testatur VMBRA. Hoc vocabulum vix esse potest error describentis notissimum VERBA, sed corruptum est ex VRBANA, cuius omnes fere lineas continet, si, transpositis duabus literis, scribas VRBMA.

Romani tollent equites peditesque cachinnum. Vitiosa et inepta lectio, quamvis ab omnibus librariis recepta et propagata: quippe quae et sententia et dictione peccat. Nusquam enim *pedites* dicebantur nisi militiae; vel in triumpho forte vel pompa: domi *populus* vel *plebs* appellabantur. Nemo, inquam, scriptorum aliter locutus est; nisi Plautus semel, opinor, in persona servuli risum captantis, Poenulo IV, II, 10. *Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris: Equitem, peditem, libertinum, furem, an fugitivum velis.* Nihil igitur iste ad Nostrum facit, qui et alias verniles facetias spernit, et nunc cum maxime rem seriam agit. Martialis VIII, 50. *Vescitur omnis eques tecum populusque patresque.* Vides *populum* dicere, non *pedites;* etsi versus hoc admittat; neque aliter quisquam. Peccat deinde, ut dixi, in sententiam: non enim id voluit Noster, neque tam bene de populo existimavit, extemplo eum cachinnos sublaturum esse, si quid actor loqueretur personae suae inconveniens. Immo vero semper eum ab *equitibus* secernit; hos cum *senatoribus* solos poetarum arbitros praedicat, *plebem* ut ineptam et indoctam procul arcet et submovet. Serm. I, X, 76. *Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax Contemtis aliis explosa Arbuscula dixit.* Epist. II, I, 182. *Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam, Quod numero plures, virtute et honore minores, Indocti stolidique et depugnare parati, Si discordet eques.* Hosne tu stolidos tam acres et peritos fabularum iudices credis, ut risum repente tollant, si minimum quid contra τὸ πρέπον a poeta peccatum fuerit? Imo vero fidenter repone, librariorum populo valere iusso, *Romani tollent equitesque patresque cachinnum.* Vel, si mavis,

Intererit multum, Davusne loquatur, an heros;

equites patresque. Non ita magna mutatio est; et proclive erat, ut post *equites pedites* inducerent. Noster infra v. 248. *Offenduntur enim quibus est equus et pater et res: Nec si quid fricti ciceris probat et nucis emtor, Aequis accipiunt animis donantve corona.* Vides, opinor, *equites* et *patres*, ut locis in theatro, ita et iudiciis, a populo discriminari: illos solos in his Musarum donis legitimos et honestos censores esse; plebeculam cum cicere suo nihil hic sapere. BENTLEIVS.

Habet ista emendatio omnes veritatis numeros. Praefero *equites patresque.* Spectatores, licet compositi ex triplici *patrum*, *equitum* et *plebis* genere, tamen, si huiusmodi iudicium agitur, duas partes efficiunt, quia patres et equites unum idemque sentiunt, plebis autem iudicium non curatur. *Pedites* et *equites* nusquam inveni, nisi ea sententia, quam Bentleius exposuit. Ita Auctor Elegiae ad Liviam Augustam 217. *Armataeque rogum celebrant de more cohortes, Et pedes exsequias reddit equesque duci.* Ex Plauto nihil certi conficitur. Nam, ut omittam iocandi risumque captandi studium, ille Romana peregrinis ita immiscet, ut ea discernere sit difficillimum. Nonnulli praesidium esse putaverunt in Livio I, 44. *Censu perfecto* (Servius Tullius) *edixit, ut omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit.* Ibi iam Fr. Sanctius verba Horatii memoravit, quasi idem significarent. Vides autem Livium de *exercitu* loqui. Praeterea *equites* nondum constituebant privum ordinem, quem temporibus Gracchorum constituere inceperunt. Solemnis formula est *equites patresque*, *populus patresque*, *plebs patresque*, quam Bentleius iam illustraverat ad Horatii Carm. III, VI, 20. Nostro loco eximie favet exemplum Martialis Epigr. XIV, 120. *Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque, Dicor ab indoctis ligula Grammaticis.* Gesnerus illud exemplum monstravit, et tamen Bentleius ipsi non persuasit. Ridiculum, ita disputat, auget Flaccus, primo quod *pedites* pro plebe ponit, quasi de exercitu sermo esset: deinde quia magis ridiculus est poeta, quem etiam plebs ridet. Sed nullum omnino plebis in tali re est iudicium. Vulgus habetur pessimus veritatis interpres. Finge Telephum mendicum sermone tragico fuisse locutum, hoc plebeii spectatores nunquam riderent, quia minus sapiebant, quam ut animadverterent. Carolus Fea, postquam dixerat Bentleium audacter et inscite emendavisse *equitesque patresque*, conferre nos iubet vs. 95 et 248. Versus 95 hic est: *Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri;* ubi sermo *pedester* est comicus, oppositus *tragico.* Alter versus 248, *Offenduntur enim quibus est equus et pater et res*, plane confirmat, quod

Maturusne senex, an adhuc florente iuventa

Bentleius voluit, eoque ipse Britannus in rem suam usus est.

Intererit multum, Davusne loquatur, an heros. MSS. variant inter *Davusne* et *Divusne.* In Leid. uno *Divosne.* Opposita *Davus* et *heros*, *Divus* et *heros*, multis displicuerunt, qui coniecturas proposuerunt. Iam Erasmus in Adagiis legebat: *divesne loquatur an Irus.* Sed tum melius coniungerentur *Croesus et Irus.* Lambinus volebat *Davusne loquatur Erosne*, assentiente Menagio in Amoenit. Juris Civil. c. XXXI. Et sic oportebat, non *an Eros*, ut reponebat Capellanus, de quo Brouckhusius haec annotavit: »O Criticum acumen: saltem scripsisset, *Erosne.* Itaque per hunc Gallum non stabit, quominus Horatius calluerit Prosodiam Iacobi Gronovii." G. Waddelius in Animadv. pag. 84. etiam coniicit *herusne.* Veteres Scholiastae *Heros* acceperunt pro nomine servili, sicuti est *Davus*, et inducitur servus Heros apud Menandrum, et alibi hoc nomen invenitur. Ego neque istam interpretationem accipio. Horatius in hac parte praecepti, postquam scilicet in priore docuerat orationem debere convenire motibus animorum, docet orationem debere convenire externae hominum conditioni, etiam diversae nationum indoli. Opposita singula eminent: senex - iuvenis, matrona-nutrix, mercator-rusticus, Colchus-Assyrius, Thebanus-Argivus. In tali argumentatione non recte, *servus* cum *servo* comparatur: comparandus est cum *hero*, ut *matrona* comparatur cum *nutrice.* Ingenium servi ab alterius servi ingenio differt, sed servus est servus. In communi praecepto commendatur oratio digna *servo*, digna *hero*, non haec digna *Davo*, illa *Heroe.* Et Horatius, credo, sicuti personarum nominibus uti solet vulgo notis, ex Terentio, unde et *Davus*, et supra *Chremes*, ita et alterum nomen, Davo oppositum, sumsisset potius ex eodem Terentio, quam minus cognitum illud *Herois* ex Menandro. Ego nihil tam probo, quam *Intererit multum Davusne loquatur herusne.* Ortum videtur *an heros* ex corrupto *an herus*, quae erat interpretatio vocabulorum *herusne.* Talis glossa supra scribebatur, ut scriptam vidi in uno MS. Hinc in textum descendit, et, ut metro consuleretur, correctum est *heros.* Idem probabat Kantelarius in Symbolis, Neerlande scripto libro de Artibus Literisque humanioribus, T. I. pag. 162. Plurimi, ni fallor, praeferunt: *Divusne an heros.* Neque illa sibi satis esse contraria arbitror. Nam et *heros* est *semideus*, σύνθετόν τι ἐξ ἀνθρώπου καὶ θεοῦ; et sermo herois ad sermonem dei tam prope accedere censendus est, et in Tragoediis revera accedit, ut discrimen vix in oculos cadat: adeo ut ineptum sit, hoc discrimen proprio praecepto inculcare, ac dicere *multum* intererit utrum *Divus loquatur an heros.* Et Musa dedit *referre Divos puerosque deorum fidibus* eodem metro Lyrico,

Fervidus; et matrona potens, an sedula nutrix;

patres nimirum et *filios*, inter quos maxima in omnibus rebus, etiam in sermone, erat similitudo. Atque Horatius etiam vs. 227, deum et heroa coniunxit: *Ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros, Regali conspectus in auro nuper et ostro, Migret in obscuras humili sermone tabernas.* Deus et heros, ait, abstineant humili sermone. Utantur utrique non tragico quidem, sed neque plebeio.

Maturusne senex, an adhuc florente iuventa Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix. Impune iam per tot editiones nimis diu grassata est inficeta lectio. *An matrona* habent primae Venetae et Loscheriana; inde per reliquas dominata est. At in suis plerisque Codicibus Achilles Statius, Pulmannus, Bersmannusque *et matrona* reperierunt; contenti tamen id indicasse modo, quasi nihil interesset hoc an illud legeres. Nos ne in uno quidem τὸ *an* vidimus, nisi quod Reginensis utrumque habet *et an matrona.* Postea igitur sic, opinor, legemus: *Intererit multum, Divusne loquatur an heros; Maturusve senex, an adhuc florente iuventa Fervidus; et matrona potens, an sedula nutrix; Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli; Colchus an Assyrius; Thebis nutritus an Argis.* Praecipit hic, ut decorum in personis servetur pro varietate naturae, aetatis, conditionis, vitae generis, nationis, gentis. Ergo bina hic inter se opponuntur, Deus et heros, senex et iuvenis matrona et nutrix, mercator et agricola, Colchus et Assyrius, Thebanus et Argivus. Recte hoc; et sic quidem procedet oratio, si *et* adsciveris; nam unum idemque est, ut hic vides, utrum *ne* in priore membro ponatur nec ne. Atqui si *an* legeris, tum inter quatuor ista fuit oppositio, *Multum intercrit, senexne an iuvenis an matrona an nutrix loquatur. An* siquidem non dividit, sed continuat: ut Carm. I, 12. *Romulum post hos prius, an quictum Pompili regnum memorem, an Superbos Tarquini fasces dubito, an Catonis Nobile letum:* ubi vides quatuor istos Romulum, Numam, Tarquinium, Catonem inter se hic comparari. Iam autem putidissimus fuerit Noster, si scriptori, ut singulare quiddam cavendum praeceperit, ne fervidus adolescens eodem modo loquatur ac matrona vel nutrix: quis enim tam vacui capitis, ut hoc nesciat? Vides iam, quantum haec ab illa lectione distet: neque dubitabis, utra utri praeferenda sit. Consule, quae diximus ad Serm. II, II, 63. et II, IV, 10. BENTLEIVS.

Ego hoc vitium olim tollere conatus eram, scribendo: *aut matrona potens, an sedula nutrix.* Per particulam *aut* transit ad nova exempla, quae, licet non necessaria, ad consummandam argumentationem, supplementi instar, adiicit. Malim tamen: *Intererit multum Davusne loquatur herusne; Maturusne senex,*

Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

an adhuc florente iuventa Fervidior; matrona potens, an sedula nutrix. Utraque particula *et an* e glossa inseri potuit, sicuti in Cod. Reginensi legebatur. Eleganter *fervidior adhuc*, id est *paullo calidior*, ut sunt florenti iuventa.

Matrona potens, an sedula nutrix. Fea in Cod. Vt. (Vaticano Reginae, Christinae Suecae) invenit *matrona parens*, idque tam verum et evidens habet, ut etiam sine MSS. in opposito restituendum illi videatur. *Nutrici* enim opponendum esse *matrem*, ut *matronae* opponitur *sedula.* Equidem longe aliter sentio. Iam primum *sedula* non opponitur *matronae*, sed *potenti.* Ipsa *matrona* interdum recte appellatur *sedula*, tamquam bona mater familias, quae *domi sedebat, lanam tractabat*, quod nonnunquam in titulis sepulcralibus legebatur. *Apud Graecos*, inquit Columella Praefat. Libri XII de Re rustica, *et mox apud Romanos, usque in patrum nostrorum memoriam, fere domesticus labor matronalis fuit —— ut cum forensibus* (viri) *negotiis matronalis sedulitas industriae parem rationem faceret.* Et multae sunt matronae *sedulae*, non tamen eaedem *potentes. Sedula* autem recte opponitur *potenti*, inprimis *sedula nutrix potenti matronae.* Ita enim *sedula* fere significat vitium, nempe nimis *sedula*, male sedula, trepide concursans, gratis anhelans, multa agendo nihil agens, sibi molesta et aliis odiosissima, ut Phaedrus ardelionum nationem describit. Est inepta sedulitas, quam Graeci, ut Theophrastus in Characteribus, περιεργίαν appellant. Talium hominum, inprimis feminarum nutricum, est multa loqui et garrire. Contra matrona *potens* loquitur pauca, et omnia facit cum gravitate. Cornelia, mater Gracchorum, erat matrona *potens.* Compara cum ea *sedulam nutricem*, et finge tibi utriusque incessum, vultum, habitum et vocem et sermonem, et veram, credo, rei imaginem intelliges. Neerlandi cogitamus uxorem veteris Burgimagistri Amstelodamensis, et mulierem, vel ipsius matronae olim altricem, vel patricios infantes in cunabulis et gremio foventem. Denique *matrona parens* est *matrona mater*, *parens parens. Matrona* enim non dicitur nisi *parens* et *mater*, quae saltem unum habeat infantem. Maneat igitur *matrona potens*, hoc est una ex optimatibus matronis, commendata quoque simili loco Iuvenalis Satyr. I, 70. *Occurrit matrona potens.*

Colchus an Assyrius. Utriusque nominis gentilis exemplum per mihi mirum accidit. Acron: *Colchus non nisi saevus inducendus est, Assyrius astutus et callidus et divitiis affluens.* Commentator: *Colchus, saevus, inhospitalis inducendus est: hinc Medea Colchica meretrix, quae*

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem:

filios suos ex Iasone cum patre perdidit, ut est in Tragoedia. Sed ubi erant Tragoediae, in quibus Colchi nobiles partes egerunt? Fieri hoc tamen fortasse potuit in Medea, vel in Aeeta, Apsyrto, Phryxo, si exstiterint tales Tragoediae. Sed de *Assyrio* dictu est difficilius.

Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem. Videamus locum integrum: *Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge, Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem: Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis. Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino, Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.* Ubi multum se torquent recentiores, (Scholiastae enim nihil de hoc verbo annotant) cur Achillem *honorati* epitheto poeta donaverit. Expressit, aiunt quidam, Homericum illud Δῖος Ἀχιλλεύς, quod singulis fere paginis occurrit. Bene sane: quasi non alii quivis eodem titulo ibi honestentur, δῖος Ἀλέξανδρος et δῖος συβώτης. At Cl. Dacierius, Latine, inquit, vertit epitheton τετιμένον, quod ubique Achilli ab Homero datur. Enimvero, si sic agemus, facillime et nullo negotio curva omnia corrigentur: cum ter quaterve, non saepius, in toto Homero compareat id vocabulum, neque semel ad Achillem pertineat. Immo, ait Lambinus, idcirco *honoratus* Achilles, quod Thetis Iovem oraverit, ut filium honoraret, Iliad. I, 508. Ἀλλὰ σὺ μέν μιν τῖσον, Ὀλύμπιε μήτιετα Ζεῦ. Atque id sub exitu Iliados a Iove concessum est. Vide, quo devenimus, in quas angustias compulsi. Quippe tota Ilias ob Μῆνιν illam Ἀχιλῆος, quod in nullo honore haberetur, composita et scripta est; nulla omnino futura, nisi *contumelia* Achilli facta materiam et argumentum suppeditavisset. Ipse Achilles iam a principio queritur, nec Iovem nec Agamemnonem se vel hilum *honoravisse*, I, 354. Τιμήν περ μοι ὄφελλεν Ὀλύμπιος ἐγγυαλίξαι Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, νῦν δ' οὐδέ με ννθὸν ἔτισε. Γνῶ δὲ καὶ Ἀτρείδης εὐρικρείων Ἀγαμέμνων Ἥν ἄτην, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν. Imo adhuc indignatur libro IX, se ut *nullius pretii* homunculum et *inhonoratum exsulem* ignominiose tractatum esse, vs. 642. Ἀλλά μοι οὐδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνων Μνήσομαι, ὡς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην. Hoc est, vertente Cicerone Tuscul. III, 9. *Corque meum penitus turgescit tristibus iris, Cum decore atque omni me orbatum laude recordor.* Neque id solum in caussa Briseidos, quam Agamemnon vi abduxerat; verum etiam cum in lento illo novem annorum bello tres et

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;

viginti urbes sua manu iam cepisset, meliorem ait praedae partem abstulisse Agamemnonem; sibi nihil eximii cessisse, non magis quam si in castris otiosus sedisset, vs. 319. 333. Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Λεξάμενος διὰ παῦρα δασάσκετο, πολλὰ δ' ἔχεσκε. Eant igitur, et novas huius vocabuli rationes excogitent. Ego vero, quantumvis honoratus sit Achilles, utcumque alias iustum aptumque fuerit epitheton, hoc tamen loco prave absurdeque poni contendo. *Famam*, inquit, *sequere, et si reponis honoratum Achillem; sit impiger, iracundus, inexorabilis.* Atqui et illud *honoratus*, uti caetera, quae sequuntur, *fama* acceptum est, et partem characteris constituit. Ergo stulte in priore sententiae colo ponit, quod in posteriore dicendum erat, hoc exemplo, *Si Achillem reponis, sit* honoratus, *impiger*, cet. At nunc perinde est, ac si dixerit, Si *impigrum* Achillem describis, sit *iracundus.* Quis ferat ὕστερα πρότερα tam praepostere narrantem? et quis non sentiat nullum in priore membro moratum et χαρακτηρίζον epitheton esse collocandum? Ita recte in caeteris: *Medea sit ferox, Ino sit flebilis, Ixion sit perfidus, Io sit vaga, Orestes sit tristis;* nuda hic vides nomina. Pone iam adiectiva χαρακτηρίζοντα, *Impudica Medea sit ferox, Fidus Orestes sit tristis;* et ridicule in protasi id anticipas, quod in apodosi demum venire debebat. Atque hoc quidem adeo certum est, et sua luce clarum, ut Cl. Dacierius, utcumque in Notis frustra incrustare conatus sit, in versione tamen Gallica sciens prudensque τὸ *honoratus* omiserit. Recte tamen dicere poteris, *Medea Colchis sit ferox, Agamemnonius Orestes sit tristis;* quia haec et similia morem, indolem, ingenium, conditionem, characterem personae non monstrant neque formant. Quid multa? Restituo tibi sinceram lectionem iam a multis saeculis deperditam: *Scriptor Homereum si forte reponis Achillem.* Hoc cum Librariis nusquam lectum nec auditum esset, non mirum adeo si, quod proxime accedebat, *honoratum*, interpolaverint. Famam, inquit, sequere, et *si reponis Achillem Homericum;* talem tu illum exhibe, qualem Homerus memoriae prodidit. Recte autem *Homereus*, sive Homericus: sic enim et caeteri heroes, Ulixes, Agamemnon, Nestor aliique, qui Homero soli nomen et famam apud posteros debent, passim nominantur. Cicero de Legibus I, 1. *Aut quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit.* De Divinatione I, 30. *Ex quo et illud Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat.* Tuscul. Quaest. III, 26. *Hinc ille Agamemnon Homericus, idemque Accianus, scindens dolore identidem intonsam comam.* Et ibidem IV, 23. *Quid Achilli Homerico foedius, quid Agamemno-*

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

ne in iurgio? Seneca de Tranquillitate cap. 2. *Qualis ille Homericus Achilles est, modo pronus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens.* Appuleius de Deo Socratis: *Species, quam solus Socrates cerneret, ita ut Homericus Achilles Minervam.* Quintilianus II, 3. *Sit ergo tam eloquentia quam moribus praestantissimus, qui ad Phoenicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.* Gellius IX, 9. *Atque illud impense Probum esse demiratum in Virgilio dicebant, quod Homerica quidem Λητὼ gaudium gaudeat* (lege ex Codice Lutetiae regio *gaudebat*) *genuinum et intimum.* Ammianus Marcellinus XXVII, 8. *Ut Ulixes Homericus apud Phaeacas ob difficultatem nimiam replicare formidat.* Et XXVIII, 1. *Ut inter innumera multa Aiax quoque Homericus docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnae.* Iuvenalis XIII, 113. *Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis; Vel potius quantum Gradivus Homericus.* At Noster, quia *Homericum* versu dicere non potuit, ad Graecam et rariorem inflexionem confugit, ut *Homereum* diceret. Epigrammate in Catalectis LXVIII. hortorum Deus loquitur: *Rusticus indocte si quid dixisse videbor, Da veniam: libros non lego, poma lego. Sed rudis hic dominum toties audire legentem Cogor, Homereas edidicique notas.* ubi in scriptis Codicibus cum mendosum *meracas* sit, (teste Heinsio ad Nasonem Epist. Sabini tertia) quaedam olim editiones *Homeraeas*, aliae *Homeriacas* praeferunt. Utrum voles ab auctore sit, (nam alterutrum ita sit necesse est) aeque huic Nostri loco convenit: *Scriptor Homereum;* vel, si forte mavis, *Scriptor Homeriacum*: ut ab Hellesponto *Hellespontiacus*, a Tartesso *Tartessiacus*, et alia similia. Nos *Homereum* ideo praetulimus, quod Graecis Ὁμήρειος magis placuisse comperimus. Inde Latine *Homerēus*, ut ab Ἀχίλλειος Ὀρέστειος *Achillēus Orestēus*, et alia infinita poetis familiaria. Sic Arati Phaenomena a se versa Cicero *Aratea* inscripsit. Callim. Epigr. V. Ὁμηρεῖον δὲ καλεῦμαι Γράμμα. Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα. Ita legunt Eustathius ad Iliad. pag. 250. et auctor Etymologici p. 240. At apud Sextum Empiricum I, 2, Ὁμήρου νῦν δὲ hodie fertur. Anthol. III, 14. Acerati: Ἕκτορ Ὁμηρείησιν ἀεὶ βεβοημένε βίβλοις. et IV, 9, in Ulixem. Τί πλέον; εἰν ἐπέεσσιν Ὁμηρείοις γὰρ ἐκείνου Εἰκὼν ἀφθάρτοις ἐγγράφεται σέλισι. et alibi: Τίς γὰρ Ὁμηρείοις ἀντιφέροιτο λόγοις; et Μηδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε, μηδ' ἐλεγείην. Stetimus, opinor, promissis, et revocatam ex oblivione veram lectionem satis firme constabilivimus; unum modo adiiciemus, idque haud levis momenti, vix aliter olim legisse veteres Scholiastas. Sic enim enarrant: *Reponis*, inquiunt; *itidem scribis.*

Sit Medea ferox invictaque; flebilis Ino,

Si ergo Achillem, de quo semel Homerus scripsit, velis scribere; talem debes scribere, qualem Homerus ostendit. Aut reponis, *ad imitationem Homeri describis.* Quorsum sodes haec pertinent, nisi ad *Scriptor Homereum?* At iidem, quod ad *honoratum* faciat, nihil omnino habent. BENTLEIVS.

Honoratus non ita esse explicatum, ut apta huic loco inde emanet sententia, satis a Britanno demonstratum est. Alii post eum aliis modis rem expedire tentaverunt: *honoratus*, dicunt, est *magnificus, sublimis;* est *honoratus* Homeri carminibus, quo nomine Alexander Magnus Achilli invidebat. Wyttenbachius auditoribus suis dictavit: » Male Bentleius. Nam non solum ubique ab Homero dicitur *honoratus*, *honorandus;* sed significatur hic Tragoedia, *Λίται*, *Supplicationes*, quo nomine et argumento complures fuere Graecorum Tragoediae. Argumentum erat ex Iliade Ι, ubi Ulixes et Aiax ad Achillem veniunt, ut Graecis opem ferret." Sunt etiam qui interpretentur ἀγανόν, κλυτόν. Fac hanc vel illam significationem posse accipi, Horatius numquam adhibuisset adiectivum *honoratus.* Nam si sic absolute ponitur, *honoratus* est *honoribus, magistratibus summis ornatus.* Ita Cicero Orat. ad Brutum 9. *At laudatus est* (Thucydides) *ab omnibus, fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis: non ut in iudiciis versaret caussas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator: nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius non exstaret, cum praesertim fuisset honoratus et nobilis:* hoc est, qui et magistratus gesserit et nobili esset genere. Atque ita *honoratus* et *nobilis* non sunt eadem. Eutropius recte et Latine vocavit Vitellium *familia honorata magis quam nobili*, quia pater eius, non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Vide Heinsium ad Albinov. Eleg. ad Liviam 330. *Inter honoratos excipietur avos.* Frustra igitur locum Ciceronis ad *Achillem honoratum* nonnulli accommodant. Si *honoratus* significat *ornatus*, illud, quo quis ornatus est, vel additur, vel ex antecedentibus facile cogitando repetitur. Bentleius coniecit *Homereum* vel *Homeriacum.* Videamus primum de forma vocabuli, deinde de sententia hinc nata. Graecum est Ὁμήρειος et Ὁμηρικός. *Homereus* et *Homeriacus* consuetudini quidem sermonis non repugnat; miror tamen neminem dixisse, sed omnes *Homericus*, ne excepto quidem poeta Iuvenale. Horatius, ait Bentleius, quia *Homericum* versu dicere non potuit, ad Graecam et rariorem inflexionem confugit. Hoc nego. Nam statim tibi *Achillem Homericum* in versu Hexametro repraesentabo: *Scriptor, si fortasse reponis Homericum Achillem.* In quo versu hic nihil est duri, et usitata ab omnibus forma adhibetur.

Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

Quodsi Horatius Ecthlipsin non amasset, facere potuisset, quod plurimi fecere, scribens: *Scriptor, Maeonium si forte reponis Achillem:* ut Petronius Satyr. cap. 5. *det primos versibus annos Maeoniumque bibat felici pectore fontem.* Exemplum a Bentleio ex Catalectis Priapeis laudatum, vix locum exempli tuetur. Nam scriptura est in MSS. admodum dubia. In primis editionibus legebatur *Constitui meracas*, unde Aldus, *Constiti*, *Homeraeas*, et Scaliger *Constiti*, *Homeriacas:* in MSS. erat, *Choris meracas*, *Choris marachas*, *Chorus merachas*, *Carpsi meracas*, *Coris meracas*, *Constitui aeratas.* Vide Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 536. Quamquam igitur verosimile sit in isto Epigrammate auctorem scripsisse *Homercas* vel *Homeriacas notas*, non ita certum est, ut usus vocabuli adhuc non alibi inventi inde probetur. Certius aliquanto est alterum exemplum poetae ignoti, cuius epigramma idem Burmann. in Anthol. T. I. pag. 357. edidit: *Vate Syracosio qui dulcior, Hesiodoque Maior, Homeraeo non minor ore fluit.* Ita legebatur in Cod. Vossiano. Quae si manus sit poetae, minus bene scripsit *Homeraeo*, quia est Graecum Ὁμήρειος non Ὁμήραιος. *Homeraeus* mihi etiam magis alienum videtur, quam *Homerius*, quod Oudendorpius in Suetonii Nerone cap. 47, ex MSS. edidit pro *Homericus.* Quamquam igitur *Homereus* non adeo certam habeat auctoritatem, accipio tamen; sed sententiam non accipio. Achilles *Homericus* est talis, qualem Homerus memoriae prodidit. Sic Bentleius ipse interpretatur. Sed idem paullo ante recte docuit, non posse hic Achillem epitheto insigniri, quod ingenium eius et indolem monstrat et format. In qua argumentatione vir magnus sibi non constitit. Nam si Achilles *Homericus* est, qualem Homerus memoriae prodidit, Achilles Homericus est *impiger*, *iracundus et acer.* Bentleius igitur Horatium fecit absurde dicentem: si reponis Achillem Homericum, repone Homericum, vel si reponis *iracundum*, repone *iracundum.* Sequere, inquit *famam;* finge Achillem, qualem eum fuisse fama, ex carminibus antiquissimis, accepimus. Ubi de Achille agitur, statim quidem de praecone Achillis Homero cogitamus, sed nomen Homeri non debet exprimi. Quis Pisonibus hoc praeceptum dare auderet: si Achillem reponis Homericum; Homerus eum fecit *iracundum?* Quasi carmina Homeri cuiquam Romano, Musas colenti, fuissent incognita. Quid, quod verba *si reponis Achillem Homereum* hoc potius significant: si post Homerum canis Achillem, si Achillem facis argumentum carminis heroici, ut fecit Homerus. Sic Varro Atacinus, ut hoc utar, reposuit Iasonem Apollonii Rhodii. Enimvero Horatius non loquitur de Carmine Epico, sed Tragico, quod cum ex loco universo, tum ex personis Medeae, Inus, Ixionis,

Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam; servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque

Ius, Orestis, apparet, inprimis ex vs. 125. *Si quid inexpertum scenae committis.* et v. 129. *Iliacum carmen deducis in actus;* hoc est, personam aliquam ex Iliade facis Tragoediae materiem. Neque igitur *honoratus* neque *Homereus* ab Horatio scriptum fuisse existimo, sed: *Aut famam sequere, aut sibi convenientia scriptor Finge. Cothornatum si forte reponis Achillem, Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.* In Tragoedia personis tuis vel tribue characterem, quem Graeci tribuerunt, vel, si novam fingis personam, tribue characterem sibi convenientem. Si Achillem in scenam post alios inducis, si Achillem reponis, fac iracundum; si Medeam, fac invictam et ferocem. Sententia haec tam facilis est, quam ipsa emendatio. Vocabula *scriptor* et *finge* transposui. Centies, ut vidimus, in hac ipsa epistola fecerunt librarii. Ex HONORATVM feci COTHORNATVM. Recte autem Achilles *cothornatus* dicitur, et quia indicatur persona tragica, ut personae sequentes Medea, Ino, aliae, et ne lectores cogitent de Achille Heroico. *Cothornatus* Achilles, eodem modo dicitur, quo *Tragicus Orestes.* In exemplis veterum scriptorum, quae supersunt, *cothornatus* quidem plerumque significat *sublimis*, *gravis.* Lactantius tamen Instit. Divin. VI, 20. *scelera cothurnata* appellat, quae alii, v. c. Livius I, 46, *tragica.*

Sit Medea ferox invictaque. Invicta, quae nullis precibus vinci potest, nec se exorari patitur, ut liberis parcat. De *victus* aliquid dixi ad Virgil. Aeneid. T. II, pag. 405. Horatii locum ante oculos habebat Quintilianus Instit. Orat. XI, 3. *Itaque in iis, quae ad scenam componuntur, fabulis, artifices pronuntiandi a personis quoque affectus mutuantur, ut sit Aerope in Tragoediis tristis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules.* Ubi, si pro AEROPE scribis ORESTES, habebis et hoc simile Horatiano, ut simile est *Medea atrox*, et sublata erit difficultas, de qua disputavit Burmannus. Nam Aerope non tamquam *tristis* in fabulis Graecis fuit tractata: neque credibile videtur Latinos Ennium, Accium, Pacuvium hic a Graecis discessisse.

Difficile est proprie communia dicere In his explicandis iam olim Grammatici haesisse videntur. Commentator: » *Communia dicere*, materiam ab aliis descriptam ita proprie explicare tamquam tua sit: *Communia*, id est, intacta ab aliis: nam quod ab aliquo prius dictum est, hoc fit ei proprium. Item: *Communia*, id est, non ante dicta a quo-

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,

quam, quae patent omnibus; quemadmodum domus aut ager sine domino communis est, occupatus vero iam proprius fit; ita et res a nullo dicta *communis*." Vides duplicem et plane contrariam sententiam, *communia* esse *materiam ab aliis descriptam* et *ab aliis non descriptam*. Plerique novi interpretes, nisi omnes, accipiunt de materia nondum a quoquam tractata, quae, tamquam in loco communi posita, a quolibet capi et tolli possit. Sequentia Horatii verba nos fere ita explicare cogunt. Nam si *communia* essent *iam ab aliis tractata*, subiungi non poterant ista: Tu rectius *sequeris carmen Iliacum*, quippe quod iam Homerus tractaverit, quam si proferres primus *ignota et indicta*. Sed apparet, credo, non tantum ex tota loci sententia, sed etiam ex linguae consuetudine, *communia* non posse accipi, nisi de *materia vulgo, a plurimis, tractata*. Loci sententia haec est: Si inveneris personam, argumentum Tragoediae, sequere in formando illius charactere veterem Historiam, Homerum, Cyclicos et Tragicos: vel, si mutas personae tuae characterem, sic muta, ut persona sibi conveniat. Si vero neque inducere velis personam talem, qualis iam a Graecis tractata est, neque hic illic a te mutatam, sed audeas fingere plane novam, inprimis cura ut character novae illius personae ad imum servetur, qualis ab initio processerit. Sed rectius sequeris vetera exempla, et facies tragoediam v. c. ex Iliade, vel alio exemplo iam tractato. Publica est illa et communis materies, communis fons, unde et tu haurire possis, commune pratum, unde et tibi flores decerpere licet. Personam plane novam, aliquid numquam expertum et tentatum scenae committere, est temerarium. Haec, puto, est loci sententia. Quia autem tam temerarium est proferre *ignota* et *indicta*, ideo Horatius dixit *si audes*. Iam linguae consuetudinem specta, et *communem materiam*, *commune argumentum* significare videbis id *quod a multis tractatum est*, cui opponitur *proprium*, *integrum*, *intactum*, *novum*, *indictum*. Meleager in coronam legit flores undique ex veterum hortis decerptos, et dixit: *μύσταις Κοινὸς ὁ τῶν Μουσέων ἡδυεπὴς στέφανος*. Cui dicto similia quaedam annotavit Valckenaer. ad Eurip. Hippol. vs. 73, *πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος*. Iuvenalis Satyr. VII, 53. Horatium respexisse videtur: *Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nil expositum soleat deducere, nec qui Communi feriat carmen triviale moneta*. In quibus *publica* et *communis* eandem habent significationem; et *expositum* aliquid *deducere* refert illud *deducere carmen Iliacum in actus*. Ac scire velim, ubi exstiterint illa *communia* argumenta, unde peti et formari potuerint *novae istae* a nemine adhuc tractatae personae? Nulla historia praebebat. Graeca erat exhausta.

Quam si proferres ignota indictaque primus.

Omnes personas, quae scenae committi poterant, Tragici commiserant. Cogita immensam Tragoediarum multitudinem, quae tempore Horatii exstabant. Et quod eaedem personae interdum plus quam decies a diversis auctoribus fuere inductae, nonne hinc etiam illud conficitur, iam ipsos Graecos iusti argumenti inopia laboravisse? Fortasse nonnulli respondebunt, si *communia* ista non facile inveniri potuerint in Historiis Graecis, potuisse inveniri in Romanis. Sed Horatius Romana exempla hic nusquam commendat; neque Historiae Romanae praebebant apta scribentibus. Ea enim erat reipublicae ratio, ut v. c. Lucretia, Brutus, Manlius, Coriolanus, ob perpetuas factiones, vix tuto componi possent; et ipsa Historia, quamquam diu, etiam temporibus belli Punici secundi hic illic ornamentis poeticis decorata, universe tamen personas habet veriores, et sensum magis communem, utque ita dicam, prosaicum, quam ut istae personae recte fierent tragicae, ut fiebant Graecae. *Tulit*, inquit Livius I, *etiam Romana regia exemplum tragici sceleris*. Tullia tamen et Tarquinius Romae a scena abesse debebant. Exstitit olim *Brutus* Tragoedia L. Attii, novum quoddam genus praetextatae; sed unicum fortasse fuit exemplum: quod Romanis non magis placuit, quam *Vastatio Mileti* a Phrynicho, et *Persae* ab Aeschylo conscripta, Atheniensibus perpetuo placuit. Niebuhrius et F. Schlegelius attigerunt, ipse autem iam alibi, ni fallor, hoc argumentum explicavi. Atque has ego difficultates in loco nostro superari iudico, si eum sic constituamus: *Sed facile est proprie communia dicere*. Si novam personam formare audes, omnino cave, ne sibi non conveniat. Sed cur id tentares? cum praesertim difficile sit argumentum inexpertum proprie explicare. Facile est proprie aliquid dicere, in quo Graeci tibi praeivere, et rectius facies Tragoediam ex persona aliqua Iliaca, quam ex nova, male formata. Wyttenbachius haec annotavit: » Quamquam difficile est argumentum iam tractatum denuo ita tractare, ut quis scriptor in eo propriam inventionis laudem sibi comparet; tamen rectius Iliadem in Tragoediam convertas, quam novum et ignotum argumentum conscribas. Est hoc loco supplenda particula *quamquam*, cuius usus nondum quidem observatus, tamen apud veteres valuit. Plato de Republ. III, p. 438. *οἶμαι δέ γε ἀκηκοέναι οὐ σαφῶς. Audivisse, non tamen diserte: quamvis audivisse, non tamen diserte*. Apolog. Socratis p. 358, E. Conf. Index Plutarchi in Ellipsi *καίτερ*."

Rectius Iliacum carmen deducis in actus. In quibusdam MSS. *diducis*. Et est ea non insolita utriusque verbi permutatio. Vide Cortium ad Lucani II, 294. Metaphora vel a *flumine* est petita, vel a *lana*. *Deducitur* flumen in rivum, alterum fluvium, ut v. c. Drusus Rhenum deduxit in Isalam.

Publica materies privati iuris erit, si

Diducere Rhenum, significat deducere in varias partes, dividere v. c. in Mosam, Vahalim, Isalam, Hunsum, Aham, Flevum. Iam carmen Iliacum, Ilias, est flumen. Ingens illa Tragicorum multitudo diu ante Pisones Iliadem diduxit in centum et plures Tragoedias; Piso, maior natu, *deduceret* in unam Tragoediam. Si Metaphora petita est a *lana*, unice tenendum *deducis*. Numquam enim dicitur *lana diducta*, quia de colo *deducitur* in unum eumdemque filorum cursum. Atque ista Metaphora valde frequentatur. Vide exempla apud Burm. ad Ovidii Amor. I, XIV, 7. et alterum Burm. ad Anthol. T. II, pag. 635. Ille ad Ovidium edidit Glossam ex MS. Leidensi: » *Deducta:* tractum est a filo, quod subtiliter deducatur a caelo, et ita carmina a mente compositoris: unde alibi in Ponto: *Accipe Pompeii deductum carmen ab illa:* et alibi in Honorato: *Subtili deducta poemata filo.*" Ubi pro *caelo* legendum est *colo*, pro *Honorato — Horatio*, pro *Subtili-tenui*. Nam est versus Horatii Epist. II, I, 225. *et tenui deducta poemata filo.* Atque ad hanc annotationem meam pertinet locus Ovidii Amor. II, XVIII, 1. *Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem, Primaque iuratis induis arma viris.* Ovidius alloquitur Macrum poetam, qui de rebus Troianis, etiam illis, quae Posthomericae vocantur, scripsit, et ab Ovidio vocatur *Iliacus*. Hic suum carmen non ad Achillem *perduxit*, sed ab Achille incepit: incepit a *Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος*, hoc est *ab irato Achille*, ab initio Iliados deduxit, et continuavit *quidquid Homero restabat*, ut idem Ovidius dicit, itaque *perduxit* ad tempus recentius, quam quo Achilles vixit. Scribendum puto: *Carmen ab irato dum tu deducis Achille, Primaque iuratis induis arma viris.*

Tuque Rectius Iliacum carmen deducis in actus, Quam si proferres ignota indictaque primus. Quid ferunt ista verba? Omnino rectius facies, si tragoediam sumseris ex persona Iliaca, quam si novam et indictam ipse formaveris. Hoc neque verum est, neque Horatius hortari poterat. Omnino rectius et honorificentius erat, novam formare, quam veterem sequi. Maior laus in inventore, quam imitatore. Nec quisquam dixerit de re nondum tentata, eam fore vel peiorem vel meliorem. Apparebit demum in re absoluta. Ratio oppositi hoc postulat: Tutius est imitari antiquum exemplum, quam ignota proferre: vel, carmen deductum ex Iliade semper erit melius, quam a te ipso male inventum et elaboratum. Quare scribendum puto: *Tutius Iliacum carmen deducis in actus.* vel: *Rectius Iliacum carmen deducis in actus, Quam sic proferres ignota indictaque primus.* Illud *sic* eleganter ponitur de rebus, quae non satis feliciter succedunt. Terent. in Phorm. I, II, 95. *Quid rei gerit?* respondet Geta: *Sic, tenuiter.* ubi

Non circa vilem, patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus

Donatus: » *Δειχτιχῶς.* Sic *dicendum est cum aliquo gestu.*" Et Horatius hoc efferens *sic proferres*, humeros sursum movebat. Est etiam, ubi *sic* temeritatem et nullum consilium indicat, respondens fere Graecorum *οὕτως.* Terent. Andr. I, II, 4. *Mirabor, hoc si sic abiret.* Donatus: » *Sic*, pro *leviter et negligenter*, quod Graeci *οὕτως* dicunt, et est de his, quae adiuvanda gestu sunt." Recte Donatus *de gestu*, sed addere debuisset *pronuntiationem.* Longe enim aliter efferimus *sic*, si interroganti quomodo valeamus, respondemus *sic;* aliter si dicimus: hoc tibi non *sic* abibit, ille *sic* se humo proiecit. De ista significatione particulae *sic* etiam aliquid scripsit Burmann. ad Petron. p. 687, ut omittam Tursellinum et alios. Postea vidi et Bothium coniecisse *sic.* Annotatio viri diligentis haec est: » Si autem *deducis*, cur non *proferas*, sed *proferres?* Sane hoc est, quod aiunt, colaphum refringere Prisciano. Corruptus est locus, quem restituas legendo: *Rectius Iliacum deduxes carmen in actus, Quam sic proferres* cet. *Deduxes*, deduxisses, ut *erepsemus, evasti, summosses* apud Nostrum, *decessemus, decressent* apud Ciceronem, *exstinxem* apud Virgilium, similia apud Plautum et alios. *Sic*, sic temere, sic male, ut apud Terent. Heautont. III, I, 49." De colapho, putabam esse Prisciani dare peccantibus, non accipere. Sed Horatius, credo, si scripserit, *rectius deducis, quam si proferres*, neque colaphum neque ferulam meretur. Si inquit, quod tibi auctor sum, facis, ac *deducis* carmen ex Iliade, rectius agis, quam *tantum tibi sumeres*, ut novam personam formares, *si auderes* novam formare. *Deducis*, quia non dubitat Pisonem esse deducturum, statim, praesenti tempore: *proferres*, quia dubitat, non credit Pisonem hoc aliquando ausurum, tempore imperfecto.

Nec verbum verbo curabis reddere. Ita nunc passim editores, *verbum verbo;* et eodem ordine bis profert Servius ad Aen. I, 227. et XI, 1. Hieronymus ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Sed et Horatius, vir acutus et doctus, hoc idem in Arte Poetica erudito interpreti praecipit, Nec* verbum verbo *curabis reddere fidus Interpres.* Ubi obiter notandum, falli hic eruditissimum Patrem, ac male accepisse, quemadmodum et multi hodie, verba Flacci. Non enim praecipit Interpreti, verum praecipit scriptori Tragico, *ne interpres velit esse.* Huc alludit et Boethius in Porphyrium I, p. 46. *In quo quidem vereor, ne subierim fidei* (lege *fidi*) *interpretis culpam, cum* verbum verbo *expressum comparatumque reddiderim.* Alio tamen ordine verba collocant editiones principes, Venetae ambae et Losche-

Interpres; nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

riana, quibus accedunt veterrimi Codices, Vossianus, Graevianus, Leidensis, Reginensis, cum aliis nostris, ut et pluribus aliorum: *Nec verbo verbum curabis reddere.* Utrum ex his auctor dederit, arbitrio aurium diiudicandum est. Claudius Quadrigarius apud Gellium IX, 13. *Manlius animo magis quam arte confisus scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit.* Ita nunc quidem fertur: sed regius Lutetiae Codex cum altero Morello *scuto scutum* ibi habent, et sic, opinor, alii. Livius de eadem pugna VII, 10. *Romanus, mucrone surrecto, cum scutum scuto imum perculisset.* Sic hodie editores: verum olim dederant, *cum scuto scutum imum:* quod et compositio videtur poscere. Cicero Tuscul. IV, 35. *Etiam vero quodam amore veterem amorem, tamquam clavo clavum, eiiciendum putant.* BENTLEIVS.

Verbum verbo mihi facilius et pronuntiatu suavius videtur. Alii interpretes laudarunt Ciceron. de optimo genere Orat. 5. *Nec converti, ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem et earum formis, tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis. Non verbum pro verbo necesse habui reddere.* Et Rufinianum de Schemat. *Antithesis est, cum verbum verbo pari potestate per contrarium redditur.* Adde Ciceron. de Finib. III, 4. *Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent.* Optimi, ni fallor, scriptores secuti sunt, quod est simplicius et minus affectatum, neque poetae aliter fecere, nisi metro coacti. Sic Virgilius *litora litoribus, arma armis*, et in oratione prosa, *bella ex bellis serere, vim vi repellere, pes cum pede collatus*, idemque in omnibus proverbiis observatum, ut *homo homini, lupus lupum, vir viro*, alia.

Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex. Ex angustiis evadere tentantes, magis *referimus* pedem, quam *proferimus.* Virgilius Georg. IV, 485 de Orpheo ex faucibus Tartareis redeunte: *Iamque pedem referens casus evaserat omnes.* In quibusdam MSS. legitur *referre.* Quintil. Instit. VI, 5. *Instare proficientibus, et ab iis, quae non adiuvant, quam mollissime pedem oportet referre.* Exercitus Romanus devenerat in furcas Caudinas, ibique tam arcte erat inclusus, ut pedem neque *proferre* neque *referre* posset. Minus Latinum est: ex furcis *pedem proferre* non poterat. Pedem *proferre* est *progredi*, *referre* est *regredi.* Atque illud ambiguum Scholiastas in errorem duxit. Acron: »Noli aggredi locum difficilem, unde te explicare non poteris, nec te imitatione sive aemulatione obstringas, ut *procedere* vel *progredi longius* erubescas," et Commentator: »unde te explicare non possis sine

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

pudore reprehensioneque, aut etiam ulterius progredi; namque pudor vetat nos inchoata deserere, et lex operis iubet aut penitus non incipere, aut incepta perficere." Omnes huiusmodi interpretationes, a loci sententia alienae, vitantur, si recipiamus illud *referre.* Metri quidem hodie securi sumus. Horatius alioquin dixisset: *Unde referre pedem vetat aut pudor aut operis lex.*

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim. Reginensis a manu prima, et Vossianus secundus, *Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim.* Recte: quippe Graecis κύκλιοι scriptores illi dicuntur. Euripides Helena v. 1329. *Κυκλίων χορῶν ἔξω παρθενίων.* Aristophanes Nubibus: *κυκλίων τε χορῶν ἀσματοκάμπτας.* et Ranis: *κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπάδων.* et Avibus: *κύκλια μέλη*, et *κυκλιοδιδάσκαλος.* Atque haec quidem ad Cyclios Melicos spectant: alii erant *Cyclii Epici*, qualem unum hic memorat Flaccus. Epigramma in Apollodori Bibliothecam: *Μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρουν στίχον. εἷς με γὰρ ἀθρῶν Εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.* Anthologia II, 40, in Poetas: *Τοὺς κυκλίους τουτοὺς, τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας Μισῶ λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.* Et hi quidem interdum κυκλικοι vocantur apud Graecos Scholiastas, si non mendosa sunt exemplaria, sed tutius est vetustiores sequi; et suavius sonat *Cyclius olim*, quam *Cyclicus.* BENTLEIVS.

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. In versu poetae Cyclii non video quid sit tumidum et inflatum. *Nobile* profecto non est: itaque nihil, ut in exemplum proponatur, quod quisque devitet. Quare ad nostram consuetudinem haec ita scribi possent: *Fortunam Priami cantabo et nobile bellum ——— Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* Horatius duos tres versus sequentes ex initio poetae istius omisit, notos quippe Pisonibus. Et est in omissione acerbus iocus, quasi diceret, *Fortunam Priami* — nostis cetera. Cyclius illic v. c. addere potuit *Europaeque Asiaeque incendia dira*, et alia similis tubae. Omnino veteres partem loci, bene cogniti, solebant citare, interdum duo tria vocabula. Suffecisset hic *Fortunam Priami ——.*

Parturient montes, nascetur ridiculus mus. Ita Codices nostri cum editis, excepto Regio, qui sine litura exhibet, ut et duo Pulmanniani, *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Valerius quidem Probus p. 1468. et Servius ad Aeneid. VIII, 83. *parturient*, ut nunc quidem feruntur. Contra, S. Hieronymus contra

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:

Iovinianum lib. I. *Non est contentus nostro, id est, humano more loqui: altius quiddam aggreditur. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Recte; et ita hic reponendum. Quippe illa omnia, quae in *urio* desinunt, *parturio*, *nupturio*, *micturio*, *esurio*, quae *Meditativa* recte vocant Grammatici, etiam in primo tempore Futuri vim habent. *Parturio* perinde est ac si dicas, *meditor parere*, *inibi est ut pariam.* Ita quae Graeci Ἐπιθυμητικὰ *Desiderativa* vocant in ειω exeuntia, qualia γαμησείω, βρωσείω, πολεμησείω, χεσείω, habere dicuntur ἔμφασιν τοῦ μέλλοντος, *significationem futuri.* Perperam igitur et indocte Librarii nostri, quia *nascetur* continuo sequitur, *parturient* eadem forma interpolarunt. Nam id ipsum, o boni, quod quaeritis, iam habetis. *Parturiunt* enim idem est, ac *iam parient:* et sic *mus nascetur.* At si *parturient* substituitis, hoc est, *olim meditabuntur parere;* quando erit, obsecro, ut mus iste nascatur. BENTLEIVS.

Haec animadversio Bentleii tam simplex et vera est, ut mirer, quomodo alicui in mentem venire potuerit contra disputare. In his unus argumento Graeci proverbii utitur: Ἤδινεν ὄρος, τίκτεται μῦς. Sed et hoc favet Bentleio. Nam est temporis imperfecti, non futuri. Atque ita Phaedrus Fab. IV, 22. *Mons parturibat, at ille murem peperit:* non *parturiret.* Latinum est: *mons parturus erat*, vel *parturibat.* Eadem ratione, in hac dicendi formula figurata, nunquam ponitur futurum. Ut Theognis v. 39. κύει πόλις ἤδε, δίδοικα δὲ μὴ τέκῃ. Cicero Philipp. II. *Utinam reipublicae dolor pariat, quod iam diu parturit.* Liv. XXI, 18. *Quod iam diu parturit animus vester, aliquando pariat.* Chrysostomus Orat. I de Sacerdot. Ἀθρόως, ἣν πάλαι ὠδίνεν ἐπιθυμίαν, ἀπέτεκε τότε. Ambrosius de Caino et Abele II, 1. *Hos partus anima nostra parturiat, nec solum parturiat, sed etiam pariat.* Claudianus Consul. Probi 204. *Felicemque uterum qui nomina parturit annis.* Atque illud *parturire* et *parere* tam frequenter coniuncta leguntur, ut fortasse Scipio apud Ciceronem de Oratore II, 66, non dixerit C. Metello »*Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram*" sed »*si quintum parturiret.* Quintilianus locum Horatii non semel respexit: ut VIII, 3, notavit imitationem ex Virgiliano *exiguus mus.* Idem VIII, 6. »Eo magis necessaria κατάχρησις, quam recte dicimus *abusionem*, quae non habentibus nomen suum accommodat, quod in proximo est, ut, *equum divina Palladis arte Aedificant:* et apud Tragicos, *Et iam leo pariet*, at pater est. »Ubi Quintilianus scribere potuit:" et, *Parturit mons; iam murem pariet.* Vocabula *at pater est* sapiunt glossam, neque in omnibus MSS. reperiuntur. Idem cogitabat versum Horatii antecedentem *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* quum scriberet I, 5. »*Occurret mihi forsan aliquis, quid hic promisso tanti operis dignum?* Aut quis hoc nescit, alios barbarismos *scribendo* fieri, alios *loquendo?*" Ubi reponendum est: »Occurret mihi forsan aliquis. Quid? Hoc promissore tanti operis dignum?" Ipse Quintilianus fatetur haec esse *parva*, quae adeo non exspectabantur ab eo, qui professus erat se tantum opus esse scripturum. Bentleius Latina *Desiderativa* et Graeca Ἐπιθυμητικὰ inter se opportune comparavit. De qua re dicam aliquid, grammaticum quidem, eoque ab iis, qui se philosophos, aut, si Dis placet aestheticos ferunt, contemtum: sed illi non intelligunt quantopere nugae istae, sicuti appellant, ad seria, hoc est, ipsam rerum intelligentiam ducant. Graeci Ἐπιθυμητικὰ sua finxerunt ex futuris, ex ω facientes ειω. Ita a γαμήσω est γαμησείω, a πολεμήσω-πολεμησείω, a χέζω-χέσω-χεσείω. Latini formarunt *desiderativa* a Supinis, quae significant internam vim et effectum rei, quae per *verbum* agitur. In terminatione Latini veteres secuti sunt Graecos. Fuit enim, credo, cum pronuntiarent *partusio*, *nuptusio*, ut Graeci γαμήσειω. Terminatio *seio* vel *sio* Romae abiit in *rio*, ut ex *Valesus* factum est *Valerus*, *Valerius*, ex *Fusius* — *Furius*, alia.

Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae,

Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae. Codex pervetus Achillis Statii *moenia*, non *tempora;* et ita noster Vigorniensis *moenia* in contextu, tempora inter lineas pro varia lectione ponit. Ausonius in Periocha I libri Odysseae: *Dic mihi, Musa, virum, captae post moenia Troiae, Qui mores hominum multorum vidit et urbes.* Ita codices Ausoniani; quod ex vulgatis Horatii libris Mariangelus Accursius primus interpolavit. Recte vero *moenia*, quod figuratius et ποιητικώτερον, et *captae Troiae* moenia, pro *capta:* qua locutione nihil poetis frequentius. Unde vero talis lectio, nisi auctor dedisset, a Librariis excogitari potuit? *Post moenia capta*, ut Virgilius XI, 279. *Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama.* Sabinus Epist. II. *Quidquid mite fuit post diruta Pergama.* Ovid. Fast. III, 438. *Fulmina post ausos coelum affectare gigantas Sumta Iovi: primo tempore inermis erat.* Claudian. Eutrop. II, 11. *veteri post obruta morbo Corpora, Paeonias nequidquam admoveris herbas.* Equidem si quid hic mutatum vellem, *funera* potius dicerem quam *tempora*, ut Noster Carm. I, 8. *sub lacrimosa Troiae funera.* Lucret. V, 337. *Cur supera bellum Thebanum et funera Troiae. Non alias alii quoque res cecinere poetae?* Sabinus Epist. I. *Nunc primum Pallas versae post funera Troiae Visa mihi: medium temporis ira tulit.* BENTLEIVS.

Ego cur neque *captae post tempo-*

Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

ra Troiae, neque *captae post moenia Troiae*, neque *captae post funera Troiae* verum putem, has habeo caussas. Horatius ex Homero demonstrat, quale esse debeat grave et simplex carminis epici exordium. Homerus, ut ait Quintil. Instit. Orat. X, 1. *in utriusque operis ingressu in paucissimis versibus legem proemiorum, non dico, servavit, sed constituit.* Horatius exemplo proponit primos versus Odysseae: *Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν. Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.* Hic verba *Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν* consideranda sunt. Oratio simplex, tamen poetica. Horatius in Epist. I, II, 19 reddidit eleganter *domitor Troiae.* Nunc reddidisse *captae post tempora Troiae*, non est credibile. Videtur enim nimis humile in exordio; quia idem significat, ac si legeretur *post illud tempus*, quo Troiam cepit. Ita neque Graecus quisquam neque Romanus carmen ordiretur. Ferrem v. c. *sacrae post tempora Troiae:* nam *tempora Troiae et Troiana* significant res Troianas, inprimis ultimas, duras illas et calamitosas, tempora diuturni belli et urbem captam. Cicero in Bruto 10. *Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus.* Ipse Horatius Carm. I, 28. *Quamvis clypeo Troiana refixo Tempora testatus.* Ovidius Metam. XI, 758. *Priamus novissima Troiae Tempora sortitus.* Idem Metam. VIII, 365. *Forsitan et Pylius citra Troiana perisset Tempora.* Velleius Paterculus I, 3. *Iliaca componentes tempora.* ubi plura interpretes. Et sic Quintil. XII, 10. *Circa Peloponnesia tempora.* Ovidius Metam. XV, 160. Pythagoram facit narrantem: *Troiani tempore belli Panthoides Euphorbus eram.* Sed est simplex narratio: et, ut Virgilius in principio Aeneidos nunquam dixisset: *Arma virumque cano, captae post tempora Troiae* — sic Horatius versum Homericum, ita redditum, exempli instar, commendare non potuit. Ut *post tempora captae Troiae*, *μετὰ τοὺς χρόνους τῆς Τροίης ἁλώσεως*, in exordio carminis epici nimis humile videtur, ita *post funera* non satis modestum; *post moenia captae Troiae* autem habet in ipsa dicendi formula aliquid affectatum, et quo recentiores scriptores magis delectatos invenio, quam Horatium et antiquos. Si verbum apponas, e. c. *post eversa Troiae moenia* nemo offenditur: si dicas, *Ulysses erravit post moenia Troiae eversae*, inflatum dixisti. Atque hoc loquendi genus illustravi ad Horatium Carm. I, 18. Placuit inprimis Lucano, Senecis, Valerio Flacco. Seneca Herc. Oet. 79. *Post feras, post bella, post Stygium canem.* Agamemn. 190. *post tropaea Troiae.* Epist. 119. *Post Darium et Indos pauper est Alexander.* Vide Cortium ad Lucani V, 474.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat; ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin.

Mea igitur opinio est, Horatium hanc particulam exordii Homerici, in exemplum propositi, sic reddidisse Latine: *Dic mihi, Musa, virum, Troiae post moenia capta.* Error natus ex transpositione, *capta post moenia Troiae*, quod ab alio, metri intelligentiore, mutatum in *captae*, ab alio rursus, Latinitatem hanc non tolerante, in *captae post tempora Troiae.* Habemus iam simplex, grave, et sedatum initium *post capta Troiae moenia;* atque ita fere omnes recentiores poetae verterunt. H. Vida Poet. II, 87. *in patriam si quis deducere adortus Errantem Laertiaden post Pergama capta.* Bern. Zamagna, Ragusinus, qui Odysseam Latinis versibus explicavit Venetiis 1783. *Musa virum memora, varium qui pectore versans Ingenium, erravit longum post eruta Troiae Pergama.* Oudinus in Annot. ad Vidae Poet. II, 40. *Dic mihi, Musa, virum, qui terris multus et alto Erravit sacrae post eruta Pergama Troiae.*

Qui mores hominum multorum vidit et urbes. Duo MSS. apud Feam *multorum novit.* MS. Brenckm. *ducit*, quod ex transpositis male literis corruptum videtur. *Vidit*, credo, verum est. Horatius ex ἴδεν et ἔγνω unum verbum fecit. Legendum erat inter *videre* et *cognoscere.* Legit *videre*, ut in Epistola *inspicere: Qui domitor Troiae, multorum providus urbes Et mores hominum inspexit.* Si legisset ἔγνω, scripsisset, credo *cognovit*, non *novit;* quia *cognoscere* id, quod fecit Ulysses, magis Latine exprimit. Graeci idem vocant ἱστορεῖν. Neque metrum *cognovit* excludebat: ut, *Qui multorum hominum mores cognovit et urbes.* Et sic Plinius, Homerica cogitans, Panegyr. 15. *Cognovisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, et diversam aquarum coelique temperiem.* Et Cicero pro Lege Manil. 14. ita posuit *cognitionem urbis.* Quodsi denique Horatius alterum utrum sive ἴδεν sive ἔγνω Latine non sufficere putavisset, utrumque versu includere sic potuisset: *Qui mores hominum cognovit, vidit et urbes.*

Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin. Non ita belle disiungitur Scylla a Charybdi; et satis erat Charybdin ponere, ut Scylla agnosceretur. Quare nequeo non suspicari sic potius ab auctore fuisse: *Antiphaten Circamque, et cum Cyclope Charybdin.* Nam nulla ibi *miracula tam speciosa* sunt quam *Circae;* quae homines in brutorum formas virga magica vertebat. Quaerant, quibus antiquorum codicum est copia. BENTLEIVS.

Elegantius puto *Circamque*, quia etiam sic illustre miraculorum exem-

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,

plum lucramur. In MSS. nulla videtur esse varietas. Fea nihil notavit. Leidensia nostra ad unum omnia habent *Scyllamque*. Ceterum *Scylla* hic non adeo a Charybdi disiungitur. Corrige interpunctionem: *Antiphaten, Scyllamque, et, cum Cyclope, Charybdin*. Quasi legeretur Antiphaten, Scyllamque et Charybdin, cum Cyclope; hoc est *Scyllamque et Charybdin et Cyclopem*.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri. Poetae Cyclii, qui *Νόστους* composuerunt, Diomedis non obliti sunt. Vide Heynium in Excursu ad Aeneid. XI, 243. Scholiastae Horatiani nominant poetam Antimachum: iidemque ad Carm. IV, II, 33, testantur Iulium Antonium *heroico metro Diomedeos duodecim libros scripsisse egregios*. Titulus, ni fallor, fuit *Diomedias*, ut *Ilias:* et apud Commentatorem legitur *Diomedeas*. Res Diomedis in Italia fuere cognitae. Meminit Horatius, et alii, *loci* ab eo *conditi*, I Serm. V, 92. Bentleius quidem hunc versum pro spurio habet. Neque fortasse immerito. Sed argumentum, quo utitur, quia interpreti cuidam visum est gravissimum, hoc non modo non grave est, sed etiam falsum. »*Locum* quippe *condere*, ait Britannus, ne Latinum quidem videtur: certe nusquam quemquam sic locutum esse memini." Quod vir magnus dubitanter ponit, quod sibi ita *videri* dicit, quod certe non *meminerat*, hoc ita nonnulli arripiunt, tamquam ex adytis Phoebi profectum sit. Ita errores in his literarum studiis propagantur. Bentleius istam annotationem componens, *non meminerat* exempli. Habebat nimirum hanc in veteribus interpretandis consuetudinem, ut, qui tam acutum cerneret quam aquila, vitium aliquod statim deprehenderet; deprehenso statim paratam faceret medicinam. De utilitate et vi medicinae postea cogitabat, quum iam adhibuisset. *Condimus urbes, insulas, montes*, loca, quae vel ipsi primi cum colonis habitamus, vel quae, iam ab aliis habitata, incolis augemus. Suetonius in Augusto 98. *Masgaban, quasi conditorem insulae, κτιστὴν vocare consuerat*. Velleius Paterculus I, 2. *Tyria classis, insulam circumfusam Oceano Gades condidit*. Pomponius Mela I, 19. *Sindos in Sindonum ab ipsis terrarum cultoribus condita est*. De quo loco sic statuit Sanctocrucius in Novis Animadv. ad Cyropaediam pag. 579. ed. Schneid. esse errorem Pomponii, quia populus iste non habuit *urbes*. Putat nimirum in verbo *condere* necessario notionem *urbis* contineri. Sed hoc inde non magis sequitur, quam, si Romulus dicatur *condidisse Romam*, Romam propterea ante Romulum non exstitisse, contendas. Apud Graecos quidem *κτίζειν νήσους* frequentatum est. Wesselingius bis explicavit, primum in Observ. II, 15. deinde ad Diodor. Siculum T. I, pag. 396. Et Callimachus librum scripsit *κτίσεις νήσων καὶ πόλεων*. Atque istam

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulaea manentis et usque

verbi Graeci et Latini significationem iam illustraverat Salmasius ad Tertulliani Pallium pag. 170, qui tamen, quum interpretatur *loca instruere urbibus*, cogitavit de eo, quod plerumque fiebat; sed idem illud non semper fiebat. Adde interpretes ad Livium V, 24. *Sicinium conditorem ad Veios sequantur;* hoc est, qui ipsos ducat ad Veios una cum Veientibus incolendos.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo. Non vidi notatam ab aliquo in MSS. varietatem. In antiquissimo nostro Leidensi est: *Nec gemino bellum Troiae sortitur ab ovo*.

Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi. In Collectaneis Grammaticis Cod. Daventriensis: *Tu quid ego populus*.

Si plausoris eges aulaea manentis. Vide modo locum: *Si plausoris eges aulaea manentis, et usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite dicat*. Nunquam quisquam a me impetrabit, ut hanc inhonestam scabiem Horatio imputem: *Plausoris*, qui sedeat usque ad *plaudite*. Sentis, opinor, rusticam inconcinnitatem. Et sane in plerisque codicibus illud *Plausoris* correctoris manum passum est. Graevianus primum habuit *Plus oris;* Vossianus *Plusoris:* unus Oxoniensis *Plasoris:* in Reginensi integrum verbum in litura demersum est, et suppositum alia manu *Plausoris*. Repone, eadem quidem sententia, verbo tamen hic commodiore, *Si fautoris eges aulaea manentis, et usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat*. Noster Epist. I, XVIII, 66. *Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum*. et alibi *Fautor Lucilii, Fautor veterum*. Utrumque iunxit Epist. II, I, 88. *Ingeniis non ille favet plauditque sepultis*. Quin in theatro *Fautor*, pariter ac *Plausor*. Plautus Prolog. Amphitr. V. 67. *Nunc hoc me orare a vobis iussit Iupiter, Ut conquisitores singuli in subsellia Eant per totam caveam spectatoribus; Si cui fautores delegatos viderint, Ut iis in cavea pignus capiatur togae. — Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper, qui recte facit*. Tacitus Annal. XIII, 25. *Lu-*

Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:

dicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit. Et iterum 28. *Quod immodestos fautores histrionum et a praetore in vincula ductos tribunus omitti iussisset.* Cicero pro Roscio Comoedo c. 10. *Quod studium et quem favorem secum in scenam attulit Panurgus? Quod Roscii fuit discipulus, qui diligebant hunc, illi favebant.* Appuleius in Floridis: *Cum primis hoc spectandum esse, quid in theatro deprehendas: nam si Mimus est, riseris; si funirepus, timueris; si Comoedia est, faveris; si Philosophus, didiceris.* BENTLEIVS.

Per emendationem Bentleianam hoc tantum profecimus, ut ingrata repetitio *plausoris* sessuri usque ad *plaudite* non amplius appareat. Caeterum neque *plausor* neque *fautor* sententiae loci convenit. Hoc ita demonstro. Agitur hic de iudice tragoediae integro et incorrupto, qui, quid sentiat, non aperit prius, quam ventum est ad finem. Si tragoedia tali iudici placet, manet, donec aulaea tollantur, tum plaudit. Qui *plausor* et *fautor* intrat, hic non incorruptum iudicium affert, sed auctori iam statim favet, vel ab eo subornatus est, ut faveat. Plautus l. l. hoc vocat *fautores delegatos.* De iisdem Petronius Satyr. cap. 5. *neve plausor in scena sedeat redemtus, histrioniae addictus.* Iam qui *plausor* venit, hunc ad finem permansurum res ipsa loquitur: qui *fautor* venit, huius mentem favor iam tenet, adeo ut ab eo poeta nunquam veritatem cogniturus sit. Requiritur *auditor*, sine praeiudicata opinione, in neutram partem commotus, qui de fabula acta iudicat, eam probat, sedet ad *plaudite*, et a cantore rogatus, ex animo plaudit. Atque hanc, unice veram, sententiam nanciscemur facillima emendatione, pro SIPLAVSORIS scribentes SPECTATORIS, et versus ita transponentes: *Spectatoris eges, aulaea manentis, et usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat? Tu quid ego, et populus mecum desideret, audi.* Si spectatorem, fabulas tuas vere laudaturum cupis, audi, quid ego et populus, ego et patres equitesque, ego et alii mecum desiderent. Spectatores interdum quidem in prioribus actibus nonnullos versus plausu prosequebantur. Cum in fabula Pacuvii Pylades Orestem se esse diceret, ut narrat Cicero de Amicitia cap. 7, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret, stantes plaudebant in re ficta. Sed hos plausus magis exprimebat vis naturae et veritatis, quam admiratio poetae: neque Athenienses, histrione iambos ex Amphiarao Aeschyli recitante, *οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει*, plauserunt, sed, ut scribit Plutarchus in Aristide cap. 3, *πάντες ἀπέβλεψαν εἰς Ἀριστείδην, ὡς ἐκείνῳ μάλιστα τῆς ἀρετῆς ταύτης προσηκούσης.* Plausus reservabatur ad extremum actum eiusque finem. Ideo

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores;
Mobilibusque decor, maturis dandus et annis.

poetae plurimam in hoc actu elaborando diligentiam adhibebant. Quintil. Instit. Orat. VI, 2. *Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragoediae comoediaeque clauduntur, Plaudite.* Hinc illae Philosophorum comparationes, qualis apud Ciceronem de Senectute cap. 2. *Non verosimile est, cum ceterae partes aetatis a natura bene descriptae sint, extremum actum, tamquam ab inerti poeta esse neglectum.* Idem in Epist. ad Quintum Fratrem I. *Illud te ad extremum et oro et hortor, ut, tamquam poetae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.* Ubi omnino scribendum puto: *ut hic tertius annus imperii tui, tamquam extremus actus.* Non modo sententia loci hoc flagitat, sed etiam singularis vis, quam Cicero in repetitione vocabuli *extremus* quaesivit. Ceterum varietas scripturae *Plausoris*, *plusoris*, *plasoris* nata est ex eo, quod alii pronuntiabant *plosoris*, quod ipsum in quibusdam MSS. exstat; *spectatoris* autem semel corrupto in *plausoris*, aliud vocabulum quam *plausoris* hic non noverant. Horatius in hac Epistola et vs. 224 etiam *spectator* usus est, ut et *spectare*, et *auditor*. Inprimis autem pro nostra coniectura facit solennis formula Cantoris in fine cuiusvis fere Comoediae: *vos, spectatores, plaudite.*

Mobilibusque decor naturis dandus et annis. Ego vero, quaenam illae sint *mobiles naturae*, parum intelligo: *Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor naturis dandus et annis.* Quippe variae hominum naturae, unde fit ut alii aliis iracundiores, audaciores, tardiores simus, adeo non sunt *mobiles*, hoc est, facile mutabiles, ut nulla quidem industria mutari possint. Eleganter Lucretius III, 308. *Sic hominum genus est: quamvis doctrina politos Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit Naturae cuiusque animi vestigia prima. Nec radicitus evelli mala posse putandum est, Quin proclivius hic iras decurrat in acres, Ille metu citius paullo tentetur; at ille Tertius accipiat quaedam clementius aequo. Inque aliis rebus multis differre necesse est Naturas hominum varias, moresque sequaces.* Vides naturarum singularum vestigia nulla doctrina nec institutione penitus deleri posse; tantum abest ut *mobiles* sint et se *ipsae* identidem mutent. Ovidius Epist. Hypermnestrae vs. 55. *Femina sum et virgo, natura mitis et annis: Non faciunt molles ad fera tela manus.* mitis annis, quia *virgo;* mitis natura, quia *femina:*

Reddere qui voces iam scit puer et pede certo

ut non magis natura, quam ipse sexus sit mobilis. Infinita sunt apud Philosophos, Ciceronem praesertim, huc facientia; unde scias naturas et ingenia per totam vitam manere, studia et cupiditates pro aetate variare. Quorsum igitur *Naturae* hic apud Nostrum, ubi varios tantum *aetatum mores* commemorat? Phidippus senex Terent. Hecyr. II, 2. *Aliud fortasse alii vitii est: ego sum animo leni natus: Non possum adversari meis.* Antipho adolescens, demissus et timidus. Phorm. I, 4. *Non sum apud me. Non possum immutarier.* Ea Phidippo lenitas, Antiphonti timiditas a *natura* erat. An tu omnes ideo senes in seenam induxeris *lenes* et obsequentes? iuvenes autem, *modestos* et meticulosos? Imo hoc ipso in loco praecipit Noster, ut *difficiles*, *queruli* inducantur senes, iuvenes autem *sublimes*, cupidi, feroces. Ostendit Antipho, ait Donatus, *naturae* suae timiditatem nullis adhortationibus eiici posse. Vides iam aliud esse vitium *aetatis*, aliud *naturae:* et tam falso *naturas mobiles* hic dici, quam inepte cum *annis* et *aetatum moribus* coniungi. Et sensisse quidem haec incommoda videntur sagaciores interpretum; dum sollicite quaerunt et respondent, quid hic *naturae* sibi velint. At Cl. Dacierius ita nulla hic difficultate offensus est, ut *bellum esse versum* exclamet, *naturas* autem hic esse *aetates*. Belle sane: tu tamen, si me audis, hoc bellum admiratori suo relinque, et sic versus repone: *Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores; Mobilibusque decor, maturis dandus et annis. Maturis annis*, hoc est, seniorum, *mobilibus*, hoc est, *iuniorum*, suis quibusque decor, tribuendus est: quod quomodo fiat, per singulos aetatum gradus fuse mox persequitur. *Maturi*, inquam, anni sunt *seniles* et *viriles*. Noster supra v. 115. *Maturusne senex, an adhuc florente iuventa Fervidus.* et Carm. IV, 4. *Natosque maturosque patres.* Virgil. Aeneid. V, 73. *Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes.* Ovid. Metam. VIII, 617. *Lelex animo maturus et aevo.* XIV, 617. *Remulus maturior annis.* XV, 210. *Excipit Auctumnus, posito fervore inventae Maturus mitisque, inter iuvenemque senemque.* Tacitus Annal. I, 4. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello.* Sic *matura aetas, maturitas aetatis, matura senectus*, passim. Cicero de Senectute c. 10. *Sua cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas iuvenum, et gravitas iam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat.* Ubi obiter nota illud *constantis aetatis;* ut et infra cap. 20. *Sunt et ineuntis adolescentiae studia; num ea constans iam requirit aetas, quae media dicitur? Sunt etiam huius aetatis: ne ea quidem quaeruntur a senectute.* Inde enim discas, quae et quamobrem *mobilis aetas*

Signat humum, gestit paribus colludere, et iram

dicatur: *constans* enim et *mobilis* sunt opposita. Cicero pro Quinto Roscio, cap. 16. *Venit ad Cluvium: quem hominem? levem? imo gravissimum: mobilem? imo constantissimum: familiarem? imo alienissimum.* Ergo uti *maturi anni* constantem et senilem aetatem, ita *mobiles* puerilem iuvenilemque denotant. Virgil. Georg. III, 165. *Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi, Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.* Atque hanc equidem emendationem iam olim ex coniectura feceram; postea vero nactus Vigorniensem codicem, ut vidi, ut delectatus sum, cum inter lineas ibi pro varia lectione adscriptum reperi, »Aliter *maturis.*" Codici igitur huic fidem habeat, qui argumentis et rationibus duci non potest. Quin et olim inter Scholiastas erant qui sic legerent, ut ex laceris illis reliquiis divinare possis. Enarrator Cruquianus: »*Naturis:* aliud enim puerum decet, aliud adolescentem, aliud maturum senem." Acron: »Puero, adolescenti, et maturo seni (sic MS. non *sene*) τὸ πρέπον, id est, decorum cuique proprium tribuendum est." Profecto, qui haec commentati sunt, non *naturis*, sed *maturis* interpretari iure videantur. Iam autem, praeter sententiae virtutem, etiam compositionem hoc pacto dulciorem et nitidiorem esse, qui aurem purgatam habet, facile agnoscet. BENTLEIVS.

Naturis miror a quoquam potuisse defendi. Gesnerus rogat: »Nonne hic docet Horatius aliam esse naturam pueri, iuvenis, viri, senis? Nonne hic natura cum annis mobilis est?" Minime. Medea, ut hoc utar, iam a teneris annis fuit ferox et invicta. Ferociam servavit nubilis, mater, anus, ubi senectutem attigerit. Natura mansit eadem. Sed quod feroci Medeae infanti placuit, quod nubilis facere amabat, quo mater delectabatur quotidie, haec cum aetate mutabantur. Characteres, quales descripsit Theophrastus, κολακείας, ἀδολεσχίας, ἀγροικίας, βδελυρίας, hominibus innati, non delentur. Auctor ad Herennium IV, 51. *Quid ego, quae deinde efficiat, enarrem? Eiusmodi est hominis natura, ut, quae singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea vix annuo sermone enarrare possim. Huiusmodi notationes, quae describunt, quid consentaneum sit uniuscuiusque naturae, vehementer habent magnam delectationem. Totam enim naturam cuiuspiam ponunt ante oculos, aut gloriosi, aut invidi, aut timidi, aut avari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris.* Talia sunt Horatiana: *Naturam expellas furca, tamen usque redibit.* et: *Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* et proverbium: *Lupus pilum, non animum mutat.* Locus igitur corruptus est, et *naturae mobiles* huc minime faciunt. In MSS. haec cernitur varietas, ut pro *mobilibus* alicubi reperiatur *nobilibus*, in uno Leidensi *molilibus*, in

Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.

Bentl. *maturis* pro *naturis*. Videndum an *maturis* omnem difficultatem expediat. Anni *maturi*, pro anni *maturae aetatis*, Latinum est: anni *mobiles*, pro anni *aetatis puerilis* et *iuvenilis*, si Latinum sit, tamen ambiguum est. Nam et sunt mobiles, nunquam stantes, semper euntes et cito pede labentes: quod de omnibus annis universe, non de singulari parte dicitur. Si homo *mobilis* et *constans* recte opponuntur, ideo non recte opponuntur anni *mobiles* et *constantes* sive *maturi*. *Mobilis aetas* vitulorum apud Virgilium est eadem quae *mollis*, dum vituli possunt *flecti*, colla habent *mollia*, *mobilia*. Atque ita *mobiles anni* vel *mobilis aetas* puerorum et adolescentium esset interpretanda. Sed hoc dici poterat de *pueris*, non de *adolescentibus*, qui sint sublimes et *asperi monitoribus*: adeoque non *mobiles*, sed *immobiles*. Emendationi autem Bentleianae hoc inprimis obstat. Observa, praeciperet Horatius, mores quatuor aetatum. Da decorem annis mobilibus (pueris et adolescentibus), da annis maturis (viris et senibus). Iam Horatius contraheret quatuor aetates in duas, quasi eadem descriptione *pueros et adolescentes*, eadem *viros et senes* complecti possis, ac sufficeret illud: altera aetas est *mobilis*, altera *gravis*. Ipse Horatius deinde ostendit, diversa esse ingenia *pueri et adolescentis*, diversa *viri et senis*. Longe aliud est, cum annos *venientes* et *recedentes* distinguit, eorumque duas partes constituit. Ego pro NATVRISDANDVS omnino reponendum arbitror STVDIISADDENDVS. *Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor studiis addendus et annis.* Observa mores cuiusque aetatis, adde decorem studiis, quae cum annis mutantur: pueri enim hoc, adolescentes illud, viri alia, alia senes facere quotidie amant; alia aetas alios habet *mores*. Haec sunt *studia*. Cicero de Senectute cap. 20. *Sunt et inceuntis adolescentiae studia; num ea constans iam requirit aetas, quae media dicitur? Sunt etiam huius aetatis: ne ea quidem quaeruntur a senectute.* Idem de Amicitia 10. *Mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat inceuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta ponerentur.* Recte Cicero *mores*, non *naturas*. Horatius mox appellat *conversis studiis* adolescens, prodigus aeris, vir factus quaerit opes. Ovidius Metam. XIV, 634. *Hic amor, hoc studium:* et iam Virgilius Aen. XI, 739. *Hic amor, hoc studium.* Cicero de Oratore III, 7, *studia* et *naturas* distinxit: *quid intersit inter oratorum studia atque naturas;* et de Invent. Rhet. I, 25, *studium* sic explicavit: *Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio.* Horatium bene expressit H. Vida Poet. II, 455. *Hinc varios moresque*

Imberbus iuvenis, tandem custode remoto,

hominum moresque animantum, Aut studia imparibus divisa aetatibus apta Effingunt facie verborum. Boilavius in Arte Poetica III, 373. *Le Temps, qui change tout, change aussi nos humeurs; Chaque age a ses plaisirs, son esprit, et ses moeurs.*

Iram Colligit, ac ponit temere. Editio Zarottina *iram concipit*. Hoc vix dubito quin ex Codice editum sit: nam utraque vocabula saepe inter se permutata videas, v. c. ad Ovid. Metam. V, 448. VI, 341. et Lucan. II, 93. Mihi longe elegantius videtur quam *colligit*, imo unice verum. Interpretes, credo, varietatem illam edit. Zarott. non curantes, parum interesse putaverunt, legereturne *colligit* an *concipit: colligit* autem esse servandum, quia in omnibus MSS. apparet. Ostendam igitur *colligit* ab Horatio non potuisse scribi. *Iram colligit* is qui, sumto aliquo tempore, caussas irascendi omnes, unde potest, repetit et meditatur, ac tandem iram omnem, ita collectam, effundit. Lucretius I, 723. *hic Aetnaea minantur Murmura, flammarum rursum si colligere iras, Faucibus eruptos iterum vis ut vomat igneis.* Lucanus I, 207. *sicut squalentibus arvis Aestiferae Libyes viso leo cominus hoste Subsidit dubius, totam dum colligit iram.* Idem II, 33. de Mario, qui sedens in ruinis Carthaginis *Libycas iras colligit.* Valerius Flaccus VII, 335. *Cunctaturque super, morituraque colligit iras.* Burmannus ibi recte interpretatur: omnem irarum vim in unum contrahit, ut moriens simul effundat. Atque ita dicitur *colligere sitim*, apud Ovid. Metam. V, 448. *Fessa labore sitim collegerat:* hoc est, fatigata *conceperat* primum aliquam, tum sensim sensimque maiorem, tandem *collegerat* magnam. Virgilius Aeneid. IX, 64. *famem ex longo collectam* appellat: *collecta fatigat edendi Ex longo rabies.* Ciofanus quidem ad Ovidium, in MS. inveniens *conceperat* pro *collegerat*, utrumque rectum pronuntiat. Est ita; sed significatio multum differt. Colligit aliquis sitim *ex longo*, *concipit* sitim subito. Et sic est in *ira*. Concipimus *furias*, *flammam*, similia, in quibus semper est notio celeritatis, ut in *colligimus* mora spectatur. Itaque recte dictum *flamma colligit iras*, non, si ignem faci admoves, fax *colligit* ignem, sed *concipit*. Longum est enarrare, quot interpretes de illo discrimine utriusque verbi in explicandis veterum scriptis et diiudicanda vera lectione non cogitaverint; ne in bonis quidem Lexicis illud recte observatum fuit. Sed nemo iam non percipit, iram huiusmodi praemeditatam et ex longo *collectum* non posse tribui *puero*. Hic iram *temere concipit*, quacunque de caussa vel potius de nulla subito inflammatur et erumpit, sicuti pulvis pyrius ex minima igniculi scintilla. Verum igitur in Horatio est *concipit*, non *colligit*. Quod autem nonnulli huc retulere Silium Itali-

Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori;
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel, quod
Quaerit, et inventis miser abstinet ac timet uti;
Vel, quod res omnes timide, gelideque ministrat;
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri;

cum VI, 399, *colligis iram*, hi sunt venatores phrasium, qui coeco impetu cuniculum pro lepore feriunt. Nam Silius satis ambigue *colligis iram* pro *cohibes* posuit, ut dicimus *vela colligere*, pro *contrahere*.

Imberbus iuvenis. In aliis *imberbis*. In Brenckm. *inverbis*.

Commisisse cavet, quod mox mutare laboret. In Brenckm. *cave*.

Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri. Quid illud *spe longus* hic sibi velit, anxie quaerunt, neque se expediunt Interpretes. Experiamur et nos, si maiorem forte lucem obscurissimae dictioni possimus affundere. Principio illud pro comperto habendum est, in his aetatum characteribus ut Aristotelem Naturae, ita Nostrum Aristotelis vestigiis institisse. Is igitur Rhet. II, 13, senes δυσέλπιδας esse tradit, hoc est, *desperantes, vix et tarde et tenuiter sperantes;* idque cum ob *experientiam*, quod pleraque in vita male cecidisse meminerunt, tum ob *timiditatem*. Idem senectutis vitium et Cicero perstringit, Epist. ad Famil. II, 16. *Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, et utor aetatis vitio. Spe longus* itaque idem apud Nostrum notare debet, quod apud Graecum δύσελπις; id vero quî fieri possit, aut non contrarium potius significet, haud ita manifestum est. Phrasi quidem hac *spe longus* nemo quisquam qui hodie exstant veterum usquam est usus; id tamen quodammodo aut pene certo quid sibi velit scire possumus, si *spes longa* quae sit semel rescierimus. Noster Carm. I, 4. *Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam. Iam te premet nox, fabulaeque Manes.* et I, 11. *Sapias, vina liques, et spatio brevi Spem longam reseces: dum loquimur, fugerit invida Aetas.* Seneca Epist. XXII. *Facile est occupationes evadere, si occupationum praemia contemseris: illa sunt, quae nos morantur et detinent. Quid ergo? Tam longas spes relinquam? ab ipsam esse discedam?* Idem alibi: *O dementiam in brevi aetate spes longas inchoantium!* Sic ἐλπίδες μακραὶ Plutarcho Περὶ τῆς εἰς ἔκγονα φιλίας pag. 881. de muliere infantem alente: *Τίνων ταῦτα μισθῶν ἢ χρειῶν ἐκείνοις; ἀλλ' οὐδὲ τοῖς νῦν. αἱ γὰρ ἐλπίδες ἄδηλοι καὶ μακραί.* Statius Theb. II, 321. *exedere animum dolor iraque demens, Et qua non gravior mortalibus addita cura, Spes ubi longa venit.* et I, 322, eleganter *spes anxia mentem Extrahit, et longo consumit gaudia voto.* Quod pari elegantia expressit et variavit Claudianus in Prob. et Olybr. vs. 65. *non anxia mentem Spes agit, et longo tendit praecordia voto.* Iuvenalis I, 133. *Vestibulis abeunt veteres lassique clientes, Votaque deponunt: quamquam longissima coenae Spes homini: caulis miseris atque ignis emendus.* Sallustius apud Servium: *Et Metello procul agente longa spes auxiliorum.* In his omnibus locis *spes longa* eadem est, quae *sera, longinqua*, quae in longinquum extenditur. Tacitus Annal. XIII, 37. *Posse illi regnum stabile contingere, si, omissa spe longinqua et sera, praesentem potioremque sequeretur.* Livius V, 6. *Insuescere militem nostrum, non solum parta victoria frui; sed, si res etiam lentior sit, pati taedium, et quamvis serae spei exitum exspectare.* Statius Silv. II, 1, 62. *O ubi venturae spes non longinqua iuventae?* et Theb. XII, 332. *gratum est fortuna: peracta est Spes longinqua viae.* Quamobrem, si *spe longus* (id, quod ne dubitandum quidem est) is demum recte dicitur, qui *spes longas*, longinquas, seras solet concipere; minime omnium hoc senibus competit, qui in extremo vitae curriculo non nisi *praesentes* et *propinquas* audent assumere. *Spe longus* igitur alterius aetatis vitium, minime senilis. Virgilius de iuvene, X, 547. *Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo Crediderat, coeloque animum fortasse ferebat; Canitiemque sibi, et longos promiserat annos.* Ut senibus contra spes curtae brevesque sunt, in certae et necessariae mortis confinio positis: ἐλπὶς γὰρ τοῦ μέλλοντός ἐστι, τὸ δὲ τοῦ βίου τοῦ τῶν γερόντων τὸ μέλλον ὀλίγον ait Graecus; spes si quidem futuri est; at in vita senum quod futurum est, parvum est. Ubi nunc sunt, qui imperiose iubent *spe longus* δύσελπις accipere? Sententia quidem hoc et natura ipsa iubet; verba vero refragantur et reclamant, immo contraria prorsus sunt; cum, ut satis iam vidimus, *spe longi* iuvenes merito dicendi erunt, senes autem *spe breves*. Quid ergo? Hoccine ut Horatio credamus excidere potuisse? Tentandum certe aliquid est, si forte damnatum hominem et sub furca caedendum calumnia periculoque libe-

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puero; castigator censorque minorum.

remus. Id quidem in propatulo est, *longus* et *lentus* passim a Librariis permutari solere. Noster, ut vulgo nunc fertur, Epist. I, v, 21. *dies longa;* sed ibi Barthii codex *lenta* praefert. Ovid. Fast. II, 722. *lentas moras;* ubi alii Codices *longas*. Trist. IV, I, 86. *Tempora lenta;* sed plures ibi membranae *longa*. In Claudiani loco iam citato, *et longo tendit praecordia voto:* sunt ibi, quae *lento* exhibent, teste Heinsio: et pari modo variatum est in scriptis quibuscumque. Tu igitur, si Horatio faves, idem hoc in loco facinus admissum crede, et sic mecum restitue: *Dilator, spe lentus, iners avidusque futuri. Lentus* si quidem *tardus* est, et *spe lentus* recte dicetur *δύσελπις*, qui tarde, aegre, difficulter ad spem erigi potest. Et *lenta* quidem *spes* utramque significat, et *longam spem* et *tardam;* et quae longe porrigitur, et quae diuturna mora trahitur, et quae tarde assumitur, et quae timide fovetur. Livius V, 5. *Brevis enim profecto res est, si uno tenore peragitur; nec ipsi per intermissiones has intervallaque lentiorem spem nostram facimus.* Idem VI, 8. *Quae postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, quam ut in eo tam lentae spei victoriam exspectaret.* Idem XXX, 28. *Quum assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atque aliis Italiae partibus lenta spe in nullum propinquum debellandi finem gerere.* Ovid. Heroid. II, 9. *Spes quoque lenta fuit: tarde quae credita laedunt Credimus: invita nunc et amante nocent.* In his locis *spes lenta* est, quae longa mora extrahitur: at alibi est, quae lente sequitur, et cunctanter inchoatur. Idem Heroid. XVII, 107. Ubi Helena Paridi: *Si te vidissem, primus de mille fuisses. Iudicio veniam vir dabit ipse meo. Ad possessa venis praeceptaque, gaudia serus. Spes tua lenta fuit; quod petis, alter habet.* Ubi palam est, *spem lentam* esse, aut quae sero nimis et tarde incepta est, aut quae timide frigideque nutrita; ut sit aut *priusquam* tu tardus spem mei aliquam cepisti, aut *dum* dubitas, cunctaris, et cessas, alius te praevenit, et me uxorem duxit. Utrovis autem sensu, sive potius utroque, *spe lentus* erit *δύσελπις*, et ad senes pertinebit; qui et *tarde et timide* sperant omnia. *Lentus spe*, casu auferendi, vel *lentus spei*, casu patrio; *spe* enim, ne id forte nescias, genitivi casus poterit esse, ut alibi apud Nostrum *constantis fide*, et sic apud alios. Silius Italicus III, 136. *Dum lentus coepti terra cunctaris Ibera.* Ita *pronus spei* Appul. Metam. III et VIII. Ita *felix operum, laetus laborum*, et alia id genus poetis frequentissima. Verbo ut dicam, *lentus spe* erit et *tardus* et *timidus; longus* vero neutrum. BENTLEIVS.

Senex *δύσελπις* non recte Latine

Multa ferunt anni venientes commoda secum

dicitur *spe longus*. Philippus Macedo, qui nova semper regna et victorias in futurum prospiciebat, habebat spem longam, erat *spe longus*. Sed subito venit Orcus *μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας*, ut est in vetere Tragoedia apud Diodorum Siculum XVI, 92. Cogitavi aliquando, an nobis ita interpretari liceret: spes seni est longe, senex est longus spe. Apud Sallustium profecto, sive scribas *longa erat spes*, sive *longe erat spes*, eodem redit. Atque hoc quidem usitatius, ut *longe illi Dea mater erit* apud Virgilium. Sed quidquid facias, *senex spe longus* semper manet intellectu difficile. Et cur Horatius tam obscurum posuisset vocabulum, cum clariora essent in promtu, v. c. *spe parvus, spe tardus*, et alia fortasse meliora? Neque Bentleianum illud *lentus* admodum facile est. *Spe lentus* dicitur is, qui spem semel conceptam, semper retinet, nunquam dimittit, sed non ad effectum ducit. In exemplis Livianis *lenta spes*, ipso Bentleio interprete, significat *spem longa mora extractam*. Est adeo eadem quae spes *longa*. Alterius *spei, lente segniter et cunctanter inchoatae*, unicum attulit exemplum ex Ovidio. Sed et ibi est *spes non ad effectum ducta*. Paris statim post iudicium Dearum *speravit* Helenam. Eam spem nunquam dimisit. Sed ea fuit lenta. Paris non consequi sat cito tentavit, quod speraret. Sero venit. Ergo neque senex *δύσελπις* recte dicitur *spe lentus* aut *lentam habere spem*. Fortasse sanam et perspicuam huic loco sententiam restitues, si simpliciter mutes vocabulorum distinctionem: *Dilator spe longus, iners, avidusque futuri*. Senex, *δύσελπις*, non plane vivit sine spe, talis vulgo reperitur nemo mortalium, sed spem aegre concipit, conceptae tandem spei non tenax est, spem nunquam ad effectum perventuram credit, neque ipse aliquid tentat, ut pervenire possit, ut *spes* fiat *res*. Viri etiam interdum spem differunt, et prudenter agunt. Sed senex perpetuo differt, est *dilutor* et *longus dilator spei*. In vulgatis etiam hoc displicet: si *dilator* sic solum ponitur, non satis differt ab *iners*. Horatius legit praecipuas notas ingenii senilis: Est, inquit, senex avarus, omnia timide et gelide ministrat, est iners, avidus futuri, difficilis, querulus, laudator acti temporis se puero, est *δύσελπις*. Singula ista propriam habent vim et significationem. Adde senex est *dilator*, est *iners:* eodem redit. *Dilator* semper procrastinat, procrastinat *iners*, hoc est in *crastinum differt*, ut est in proverbio *εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα*. *Dilator spe* pro *spei* satis notum est, iam ex versu Enniano apud Ciceronem de Senectute: *Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fide.* In quo versu deest syllaba. Fortasse apud Ennium sequebatur *qui*, ut plura de illo viro dixerit.

Iners, avidusque futuri. Nondum nobis concessum est, pedem hinc

Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles

proferre: quid enim obsecro est? *Dilator, spe lentus, iners, avidusque futuri.* Interpretes quidem, tam veteres quam novi, *futuri avidum* vitae cupidum accipiunt, ut idem sit, quod Aristoteles dixerat, φιλόζωοι, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίῃ ἡμέρᾳ, *senes vitae appetentes, et praesertim sub supremo vitae die:* atque hoc dicto probe et egregie rem explicuisse se arbitrantur. Atqui, o boni, unde nobis *futuri* perinde erit ac *vitae?* Certe qui *avidus futuri* est, et odit praesentia, et sperat in posterum meliora. An igitur *supremo die* senex est futurorum cupidus, cum mors adest prae foribus, et ianuam pulsat? quomodo igitur φιλόζωος? an ideo futuri cupidus, quia crastina semper meliora sperat? quomodo ergo δύσελπις? Haec inepta sunt et plane ἀσύνταττα. Ego vero iam olim vidi legendum: *Dilator, spe lentus, iners, pavidusque futuri.* postea in eximio Codice Reginensi literam unam animadverti ante τὸ *avidus* iam erasam esse; quae nulla alia praeterquam *p* esse potuit. Noster Serm. II, II, 110. *An qui contentus parvo, metuensque futuri, In pace ut sapiens, aptarit idonea bello.* Euander senex apud Virgil. VIII, 580. *Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri.* Lucretius III, 847. de Anima loquens: *Praeter enim quam quod morbis cum corporis aegret, Advenit id, quod eam de rebus saepe futuris Macerat, inque metu male habet, curisque fatigat.* Ovid. Metam. VI, 137. *ne sis secura futuri.* IX, 423. *Venerem quoque cura futuri Tangit.* et XIII, 363. *Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri est.* Noster Serm. I, 1. *haud ignara ac non incauta futuri.* Omnia haec, ut vides, ad curam et metum futuri spectant. *Pavidus* ergo *futuri*, id ipsum, quod Aristoteles de senibus tradit, δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοὶ, *meticulosi et de omnibus futuris paventes.* Attende autem, ut pulchre iam omnia sibi conveniant, et eodem colliment: *dilator, lentus spe, iners, futuri pavidus:* nempe hic habes, cunctationem, segnitiem, timiditatem, desperationem, propinqua et cognata vitia. At ita quam incommode coniunguntur, *iners* et *avidus?* Siquidem inertis est, nihil cupere. Postremo ipsa, ni fallor, dictio a natura et sensu abhorret. *Avidus futurorum* fortasse dici potest, qui rerum novarum cupidus est, cui praesentia displicent aut in fastidio sunt: at *avidus futuri*, ubi *temporis*, opinor, subauditur, nemo hominum aut fuit aut dictus est. Quod si idem esse *futuri* ac *futurorum* contenderis; at non aetatis demum id vitium erit, verum indolis aut conditionis: neque senibus magis, imo minus conveniet, quam natu minoribus. BENTLEIVS.

Fortasse *avidus futuri* senex esse potest qui nunquam laudat, quod adest, τὸ παρὸν, sed praesentem rerum suarum statum odit, ac propterea *futurum* cupit. Et hoc senibus est proprium, quos plerumque eo vitio esse infectos videmus, quod a Graecis appellatur μεμψιμοιρία; eo nimirum quo laborant tristes et omnia deplorantes, ut ait Seneca de Tranq. Animi I, 7. quibus nulla non caussa in querelas placet. Sed Horatius hunc morbum iam nominavit, quum *senem* dixerit *querulum.* Accipiendam puto elegantissimam Bentleii correctionem *pavidusque futuri.* Nam quod spem differt, et reiicit, et est δύσελπις, hoc ipsum efficit, ut futuri sit metuentior, quam viri et adolescentes, qui satis animi habent, ut quaerere fugiant quid cras futurum sit. Exemplis Bentleianis adde Virgil. X, 501. *Nescia mens hominum fati sortisque futurae.* Ovid. Metam. XI, 457. *praesaga futuri.* XV, 815. *ne sic etiamnum ignara futuri.* Lucan. II, 14. *Sit coeca futuri Mens hominum fati.* Statius Theb. V, 718. *proh! sors, et coeca futuri Mens hominum!*

Laudator temporis acti. Post hunc versum in MS. apud Feam versus intrusus legitur: *Laudat praeteritos, praesentes despicit actus.* Unde apparet et hanc epistolam versibus spuriis fuisse inquinatam.

Castigator censorque minorum. In aliis *censor castigatorque.* In Brenckm. *castigator censorquo.* N. Heinsius putabat eos, qui inverterunt, non satis vidisse, quid esset *censor.*

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur. Praecedens *in scenis* cogitatione repetimus in sequenti membro *aut acta refertur: in scenis acta* repetere non potes; superest *aut agitur in scenis, aut in scenis refertur.* Sed quaecunque vel *aguntur* vel *referuntur*, omnia fiunt in scenis. Illud in *scenis* omnino postulat aliquod oppositum, veluti Horatius statim ipse opposuit *intus gesta – in scena gesta.* Excidisse credo vocabulum, quod nunc sententiae deest. Habebis illud, si scribas: *Aut agitur res in scena, aut alibi acta refertur.*

Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus. Quod demittitur *per aurem*, hoc non in *aure* manet, sed *per aurem*, quasi viam, ad locum destinatum mittitur. Locus iste est *animus.* Opposita sunt *demissa in aurem* et *subiecta oculis;* demissa in aurem audimus, subiecta oculis videmus: *demissa per aurem* et *subiecta oculis*, ante oculos posita, non sunt contraria. Iam *demissa in animum* significat res animo *alte infixas*, ut animus per eas vehementer afficiatur. Sallust. B. Iug. 102. *Postremo hoc in pectus tuum demitte.*

Mandentur iuveni partes, pueroque viriles;
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,

Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus

Livius XXXIV, 50. *Eas voces velut oraculo missas in pectora animosque demitterent.* Ovid. Metam. IX, 467. *Spes tamen obscoenas animo demittere non est Ausa suo.* Iustin. VIII, 5. *Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.* Valer. Maximus VII, 3. *Quod praeceptum prima specie fortasse callidum videatur, inimicumque simplicitati; sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperitur.* Ut autem *demissa* significat res alte in animum missas, ita *subiecta* significat, *sic, temere, leviter missas, suggestas.* Conferatur Broukhus. ad Propert. I, VII, 20. Haec, quam exposuimus, si vera est Latinitas, ac scire velim quid contra dici possit, Horatius sententiam eam naturae et sanae rationi repugnantem protulit. Nunc enim hoc docemur: Ea, quae per auditionem altissime in animos descenderunt, minus animos afficiunt, quam quae per oculos fideles leviter suggeruntur. Ut rotundum accipias praeceptum, participia sic transponenda sunt: *Segnius irritant animos subiecta per aurem, Quam quae sunt oculis demissa fidelibus.* Segnius irritant animos, quae per aurem subiecta sunt animis, quam quae in animos demissa sunt ab oculis fidelibus. Metro dedit, ut dixerit *demissa oculis* pro *per oculos.* Sed in *demissa oculis* non esse potest ambiguum. *Subiicere oculis*, ante oculos *ponere*, adeo vulgaris erat scribendi formula, ut librarii minus notam vel imprudentes mutaverint in notissimam. Utile est cum verbis Horatii comparare Ciceronis de Oratore II, 87. *Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis effingi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur.* ubi fortasse melius legetur: *animis infigi.* Idem de Oratore III, 41. *Facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi ferentur.* Quintil. Instit. Orat. IX, 4. *Nihil intrare potest in effectus, quod in aure, velut quodam vestibulo, statim offendit.* Ut nos vocabula transposuimus, ita vidisse videtur Nazarius Paneg. Constant. Augusti 32. *Insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod ad animum languidius accedunt, quae aurium via manant, quam quae oculis hauriuntur:* hoc est, quae manant ad animum per aures, quam quae ab animo hauriuntur per oculos. *Hauriri* plus est quam *manare*, et *animo haurire* Virgilius et alii dixerunt. Adde Eumenium pro Inst. Schol. 20. *quo manifestius oculis discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu.*

Digna geri, promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor, neu sit quinto productior actu

Multaque tolles Ex oculis, quae mox narret facundia praesens. Facundia est aliquis facundus; facunda persona aliqua facunde narret. Hactenus recte. Sed quid *praesens?* Interpretantur *in scenam prodiens.* An igitur aliquis narrare potest *absens?* vel *non prodiens in scenam?* Epitheton et otiosum, et obscurum, et, parum abest quin dicam, ridiculum. Aut quis unquam scripturus est v. c. *Eloquentia praesens* Ciceronis in senatu omnes commovit, pro *eloquentia praesentis?* Quare neque procedit altera interpretatio, qua putant *praesens facundia* dici de persona, quae rei extra scenam gestae praesens interfuit. Latinum est: *Multaque tolles Ex oculis, quae vox narrabit nuntia. Praesens Ne pueros coram populo Medea trucidet.* Elegantissime *vox nuntia*, pro *vox nuntii.* Proprium erat hoc munus *nuntiorum*, ἀγγέλων et ἐξαγγέλων, qui in plurimis Graecorum Tragoediis res intus actas narrant. Adhibuit et Seneca, veluti in Thyeste vs. 623. ubi *nuntius* de coena Thyestae exponit, et in Medea. Thyestae interpres argumentum actus quarti ipsis Horatii verbis sic explicavit: »Crudele Atrei facinus et epulas nefandas, in quibus apponebantur Thyestae sui liberi, digna quae ex oculis spectatorum sublata intus gererentur, narrat nuntii facundia praesens."

Nec pueros coram populo Medea trucidet. Ita hodie *nec* passim circumfertur: at editiones veteres, Bersmanni Codices tres, nostrique praeter duos ex recentissimis omnes, *ne;* quam veram esse lectionem locus ipse demonstrabit: *multaque tolles Ex oculis, quae mox narret facundia praesens; Ne pueros coram populo Medea trucidet.* Tolles, inquit, ex oculis: *ne*, ἵνα μή, coram populo nefaria illa et atrocia et incredibilia ostendantur. Ut paullo ante vs. 176. *Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt; ne forte seniles Mandentur iuveni partes.* Vide Serm. I, I, 94. Amat hanc coniunctionem Horatius. BENTLEIVS.

Praefero etiam *ne*, quod et in MS. Brenckm. invenitur, sed significa-

Fabula, quae posci vult, et spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile

tione *vetandi*. Praeceptum illud: *multa tolles ex oculis, quae vox nuntii melius narrabit;* exemplis illustrat, vetatque ne v. c. Medea liberos trucidet coram populo. *Praesens coram* ut Plautus Pseud. IV, VII, 43. *quia te ipsus coram praesens praesentem videt:* et alii saepe haec iungunt, quando vim in illa praesentia reponunt.

Fabula, quae posci vult, et spectata reponi. Nulla in Codd. scriptis varietas, nisi *spectanda* pro *spectata;* solita illa utriusque participii in prima coniugatione est permutatio. Et Commentator vidit *spectanda. Posci* et *reponi* non pulchre Latine sibi respondent. Quare et Wyttenbachius volebat vel *posci — reposci* vel *poni — reponi*. Si verum esset *posci — reponi*, praeferrem *spectanda reponi*, poscitur, ut iterum spectetur: ut Serm. I, X, 32. *redeant iterum atque iterum spectanda theatris.* Sed *posci*, ut arbitror, corruptum est. Horatius loquitur de compositione Tragoediae, quomodo scribenda sit, si integris et eruditis iudicibus ab initio ad finem placere velit. Talis Tragoedia est nova, numquam spectata, incognita theatris. Haec Tragoedia audita fortasse ab amicis in recitatione, nondum experta est iudicium *populi*. Etsi Tragoedia placeat in recitatione, non sequitur eandem in scena placituram: verum autem iudicium fit in theatro, neque Tragoedia stat, nisi populus usque ad *plaudite* sederit, atque illud signum dederit. Talis fabula, iam spectata et probata, *poscitur, reposcitur*, tertium quartum et saepius poscitur. Quod ignotum est, posci non potest. Sic Terentius in Prologo Andriae 24. *Favete, adeste aequo animo, et rem cognoscite, Ut pernoscatis, et quid spei sit reliquum. Posthac quas faciet de integro comoedias, Spectandae, an exigendae sint vobis prius.* Ubi Donatus: »*Spectandae*, proprie, ut fabulae, id est, *probandae.*" Populus igitur poscit, quod iam cognovit. Horat. Epist. II, I, 185. *Media inter carmina poscunt Aut ursum aut pugiles.* Interdum notos gladiatores postulabant, quae *paria postulatitia* appellavit Seneca. Quid multa? Horatium scripsisse existimo: *Fabula quae spectari, et vult spectata reposci:* quae ad finem vult spectari, atque ita spectata et probata reposci. An fabula, quae agitur, *poni* et *reponi* Latine dicatur, valde dubito. Scriptor *ponit, reponit Achillem*, facit Achillem argumentum fabulae, scribit, et ipse post alios scribit huius nominis Tragoediam: Tragoedia in scena *agitur*, non *ponitur*, neque iterum acta *reponitur;* nisi fortasse ironice dicas, tamquam de cibo et

Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amice;
Et regat iratos, et amet peccare timentes;

crambe recocta. Sed Ironiae hic non est locus. Unicum, quod mihi innotuit exemplum, est Asinii Pollionis in Epistola ad Ciceronem X. ad Div. 32. *Ludis praetextam de suo itinere ad Lentulum proconsulem sollicitandum posuit:* quod cum alii, tum Oudendorpius ad Suetonii Othonem 7. interpretantur *agendam exhibuit.* Caussam locutionis non recte intelligere me fateor.

Intercinat actus. Nonnulli Codd. *intercidat.* Librario scilicet in mente haerebat praecedens *inciderit.*

Ille bonis faveatque et consilietur amice, Et regat iratos, et amet peccare timentes. Sic quidem editiones omnes, sed, aut valde fallimur, aut gemino mendo laborat locus hic de Choro: *Ille bonis faveatque et consilietur amico, Et regat iratos, et amet peccare timentes: Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem Iustitiam legesque et apertis otia portis.* Qui Graecos Tragicos et Senecam versaverunt, nihil in his haerebunt, quantum ad rem attinet: est vero, quod in dictione iure vituperemus. Quinam enim sunt illi *peccare timentes?* non a bonis, opinor, diversi sunt. At iam dixerat *faveat bonis*, quod aut idem aut plus est, quam *amet bonos.* Quid igitur non ad sententiam haec conferunt? Noster Epist. I, XVI, 52. *Oderunt peccare boni virtutis amore; Tu nihil admittas in te, formidine poenae.* Ubi boni, ut vides, *oderunt peccare:* prava vero et servilia ingenia *timent peccare:* illos *amor virtutis* retinet, hos *poenae formido* coercet. Quid ergo? Iubesne ut hos chorus amet et laudet? Quid, quod ipsum illud *amet* nimis inops et languidum videtur; neque attingit ad felicitatem Horatianam. Praecipit enim, quid chorus dicat, non quid sentiat; quid laudet, cui faveat et consilium det, non quem *amet:* quod, cum intra pectus versetur, nihil ad spectatores attinet. Facessant igitur haec; et meliora illa reponantur: *Et regat iratos, et amet pacare tumentes. Pacare* manuscripti aliquot Statii, unusque Cruquii exhibet; Graevianus *pecare*, prope verum. At Pulmanni liber utrumque praefert, *pacare tumentes.* Regat, inquit, iratos, et *amet*, sive soleat, tumentes lenire, *pacare*, sive *placare;* nam haec unum fere idemque sunt, et variant plerumque codices scripti. Noster Serm. II, VIII, 5. *Quae prima iratum ventrem placaverit esca.* Ubi plerique ex nostris *placaverit* habent, septem *pacaverit.* Virgil. Aen. I, 142. *Sic ait, et dictis citius tumida aequora placat.* Claudian. IV Consul. Hon. 225 de Virtute: *Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante Semet, et*

Ille dapes laudet mensae brevis; ille salubrem

incertos animi pacaverit aestus, *Invenit.* Recte vero *irati* et *tumentes* iunguntur. Virgil. VIII, 40. *Nec belli terrere minis, tumor omnis et irae Concessere Deum.* ubi veteres editiones male *timor*. Expressit hic Virgilium Statius Theb. V, 435. de Minyis Lemnum advenientibus: *Eminus abrupto quatiunt nova litora saltu, Magnorum decora alta patrum, iam fronte severi, Noscendique habitu, postquam tumor iraque cessit Vultibus.* Ita legendum, non *timor*, quod et editi et quatuor nostri Codices exhibent. Virgil. VI, 407. de Charonte: *tumida ex ira tum corda residunt.* et ibidem 49. de Sibylla: *sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument.* Noster supra vs. 64. *Iratusque Chremes tumido delitigat ore.* Seneca Thyeste 519. *Ponatur omnis ira, et ex animo tumor Erasus abeat.* Phoeniss. 352. *Tumet animus ira, fervet immensum dolor.* Capitolinus in Pertin. 11. *Sed cum unus e Tungris in viam et tumorem milites loquendo adduxisset.* Ita recte emendavit Salmasius, cum vulgo esset *timorem.* Livius XXXI, 8. *Multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate, iraque inde tumentibus.* Lactantius de Ira Dei 18. *Dedisset viae spatium; ut, residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio.* Arnobius Lib. I. *Nullus tumor indignationis in diis est.* Quintilianus Declam. XIII. *Etiamsi diversis regibus* (apum) *coorta seditio ad bellum inflammavit iras, exiguo pulvere vel unius poena ducis resedit omnis tumor.* Seneca de Ira III, 2. *Rabies infanda civitatem tulit; nec datum tempus, quo resideret tumor publicus.* Statius Theb. IX, 79. de Polynice manus sibi illaturo: *exuerat vagina turbidus ensem, Aptabatque neci, comites tenuere, socerque Castigat, bellique vices ac fata revolvens, Solatur tumidum.* Ubi *solari tumidum* plane idem est ac *pacare tumentem:* et, ut iterum discas quam proclive esset Librariis locum hunc Flacci interpolare, codex Statii Petrensis *timidum* nobis et hic obtrudit. Iure igitur, opinor, lectionem hanc adscivimus: quam ne forte incuses ut nimis prope ad *iratos* accedentem, et bis fere idem dicentem (etsi hoc inique feceris) scias *tumentes* hic non *ira* modo, sed dolore ac quavis recenti animi commotione recte accipi; imo ubi varius et mixtus est aestus irascentis, dolentis, pudentis, dedignantis; ubi, ut in Turno Mezentioque, aestuat ingens uno in corde pudor, mixtoque infamia luctu. Ita *tumor* de dolore et luctu Cicero Tusc. III, 12. *Et quidem inveterato malo, cum timor animi resedisset.* Et 31. *Erat enim in tumore animus, et omnis in eo tentabatur curatio.* Et IV, 29. *In Consolationis libro, quem in medio moerore et dolore conscripsimus: quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus.* Hos igitur *pacare* amat

Iustitiam legesque et apertis otia portis.

Chorus, non *irascentes* modo sed et *dolentes.* Claudianus XLIX, de fonte Apono: *Pacaturque aegro luxuriante dolor.* imo et *metuentes* quoque; ut qui velit, etiam illud vindicare possit, *et amet pacare timentes,* quod plures Codices agnoscunt. Seneca Epist. LIX. *Nil stultitia pacatum habet; tam superne illi metus est, quam infra: utrumque trepidat latus.* Et huc trahi forte potest illud Manilii IV, 182. *Et pacare metu silvas, et vivere rapto.* BENTLEIVS.

Boni sunt homines praediti miti et placido ingenio, oppositi *ferocibus* et *iracundis. Peccare timent* qui *fugiunt, nolunt*, non peccant: hic e sententia addendum *timent ex amore virtutis.* Nam si Horatius alibi dicit *bonos odisse peccata virtutis amore, malos formidine poenae*, est ea animadversio, quae ad hunc locum minime pertinet. Qui timent peccare formidine poenae, sunt *mali.* Hos choro ut amaret suadere non potest. Ergo sententia nihil habet ambigui. *Timere* est *abstinere, non facere, vitare.* Virgil. Georg. I, 240. *Arctos Oceani metuentes aequore tingui.* Attigit eam significationem Gronovius ad Livium XXXII, 31. et interpretes ad Horatii Carm. III, 14. plura dixerunt. Chorus peccare timentes *amet*, verbis se eos amare declaret. Hinc spectatores amorem chori intelligunt. *Timere* et *tumere, timor* et *tumor, timidus* et *tumidus* centies permutantur. Iam Heinsius ad Claudiani Epistolam ad Hadrianum vs. 7. explicavit, usus iisdem multis exemplis, quibus utitur Bentleius: post Heinsium explicavere multi viri docti, nominati a Ruperto ad Silium Italicum II, 626. Sed iungi *iratos* et *tumentes* Bentleius non vicit. Iungantur autem. Tum ista coniunctio tam arcta est, ut, tamquam per figuram Hendyadyn, plane idem significetur, ac si legeretur *ira tumentes.* Talis participiorum coniunctio non bene separatur per duo verba *regat iratos* et *pacet tumentes.* Dicendum: *regat seu pacet iratos, regat et pacet tumentes, iratos tumentesque regat et pacet.* Amet *pacare tumentes* universe verum non est. Chorus ipse est bonus et probus, bonosque et probos diligit. Iam Chorus non omnes *tumentes* pacabit. Qui scelus commisit, timet. Chorus nunquam efficere tentabit, ut scelestus ille, soluto metu, fiat securus. Quapropter Bentleius mihi non persuasit. Vulgata tamen non laudo. In Codd. D'Orvill. et Vlaming. unde varias lectiones excerpsit Oudendorpius, scribitur *concilietur amicis;* et sic est in editt. quibusdam antiquis, veluti in Florentina a. 1550. Sed in Codd. supra ultimam in *amicis* scribitur *e.* In MSS. quae adhuc innotuerunt, nulla cernitur varietas. Hinc igitur verae lectioni restituendae nullum datur praesidium. Ego ordinem verborum sic esse mutandum censeo: *Ille bonis faveatque, et amet peccare timentes, Et regat iratos et consilietur amice.* Haec demum

Ille tegat commissa; Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis.

est recta sententiae consecutio: iratos rege et prudenti consilio blande et amice mone; *amice*, quia durior oratio iratum magis acerbat, quam lenit: fave mitibus, et eos, qui peccata oderunt, ama, eumque amorem verbis declara. Cur chorus *bonis amice consilietur?* Iis non opus est consilio. Errantes, peccantes, iratos monemus, non bonos et placidos.

Ille salubrem Iustitiam legesque et apertis otia portis. Epitheton *salubrem* valde me offendit. Eo in tali sententia libentes caremus. Horatius nulli alteri substantivo addidit, ut rem, quam suadet, commendaret. Utilitas magis ex simplici nomine cogitatur, quam adiecto ornamento. Vino vendibili non opus est hedera. Lauda, inquit, brevem coenam, lauda iustitiam, leges et pacem. Haec longe graviora sunt, quam si dicas lauda dapes sobrias mensae brevis, iustitiam salubrem, leges civitatibus utilissimas, pacem rerum optimam. Et quale epitheton *salubrem?* Tenue et inops, et nimis commune. Dapes mensae brevis etiam sunt *salubres*, *salubres* leges, *salubris* pax. Oudendorpius locum Horatii adhibuit ad Suetonii August. 42: *Sed, ut salubrem magis, quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia et caritate vini populum severissima coercuit voce: satis provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.* Laudat Burmannum, qui Suetonii verba sic interpretatur: *Medici instar sanare utiliter studentem a morbo luxurie.* Quae si vera est interpretatio, ad Horatium non pertinet. Nam *iustitiae* nihil cum *luxuria.* Quod vulgo salubrius est aquam bibere quam vinum, hoc Burmanno metaphoram de medico suggessisse videtur. Augustus hic joco dici poterat *saluber legislator*, serio dici non potest. Lex *salubris* et *salutaris*, nam nihil differunt, est omnino lex publico bono *utilis;* nihil amplius. Sic et Livius II, 3. *Leges rem surdam inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti.* Pro SALVBREM Horatium dedisse puto CELEBRET. *Ille celebret Iustitiam legesque et apertis otia portis.* Iustitiae legum et pacis laudes canticis celebrare erat chori: recte *celebrare*, ut Carm. I, 7. *Sunt quibus unum opus est intactae Palladis arces Carmine perpetuo celebrare.* I, 12. *Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare Clio.* Et in hac ipsa Epistola vs. 287. *celebrare domestica facta.*

Deosque precetur et oret, Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis. Multa veterum scriptorum loca perversa distinctione laborant, ideoque minus recte intelliguntur, quam oportet. Hic omnium editionum, quas quidem cognovi, haec est: *Deosque precetur et oret*, vel *Deosque precetur, et oret, Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis:* hoc est precetur et oret deos, ut Fortunam ad miseros remittant, a superbis autem removeant. Haec vero cogitatio a veterum opinione est aliena. *Fortuna* ipsa est *Dea*, suum sibi habet templum et cultum: ipsa v. c. *gratum regit Antium*, et Praeneste. Romae non unum erat numinis fanum, variisque nominibus colebatur, *conservatricis, manentis, reducis.* Quare nemo vel Iovem precaretur ut Fortuna abiret seu rediret, sed *ipsam Fortunam.* Hanc sententiam nanciscemur, scribentes: *Deosque precetur, et oret Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis:* oret ipsam Fortunam ut redeat. Hoc facto etiam prior huius loci pars meliorem sententiam acquirit: *Chorus Deos precetur*, hoc est, religionem et Deos veneretur, idque faciendis precibus declaret. Fuit hoc initium philosophiae illius paraeneticae, servatum quoque a Theognide. Θεοῖς εὔχου, ὧν ἐστὶ μέγα κράτος. Auctor Distichorum, quae nomine Dionysii Catonis feruntur, interpretatur: *Deo supplica.* Ibi videndus est magnus Scaliger. Et hoc erat munus et officium chori, ut Deos precando veneraretur, universe, eorum potentiam et beneficia laudaret, hymnos cantaret sacros. Sic religio et pius sensus spectatoribus commendabatur.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta. Illud *vincta* recentioribus magis placuit; at editiones vetustae cum maiore parte membranarum *iuncta* praeferunt: quorum utrumque, tam sensu consimile, quam literarum ductu videtur. Tibia vero haec, quam *simplici* opponit, ex variis materiis *composita* vel inde existimanda est. Malumus igitur *iuncta;* sive ferruminatam, sive alio modo aptam et compactam intelligis. Plinius Histor. XXXIII, 5. *Plumbum nigrum albo iungitur, ipsumque album sibi oleo.* Et iterum XXXIV, 16. *Iungi inter se plumbum nigrum sine albo non potest, nec hoc ei sine oleo.* Ubi *iungi* accipe, *ferruminari.* Digest. VI, 1, 23. *Cassius dicit, si statuae suae ferruminatione iunctum brachium sit, unitate maioris partis consumi.* Virgil. Eclog. II. *Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit.* Et Ecloga III. *aut unquam tibi fistula cera Iuncta fuit.* Ioannes Saresber. Prolog. VI, Polic. *Nam quis a semipagano tibiam orichalco iunctam et aemulam tubae grandioris exspectet?* Vide ad Carm. III, XIX, 17. BENTLEIVS.

De ferruminatione per orichalcum non constat. Et parum scire refert metallum, quo tibia sit ferruminata, nisi illud metallum faciat ad ornatum vel sonum tibiae commendandum. Utraque res in ferruminatione intellectu haud ita facilis. Orichalcum unice, credo, pertinet ad ornatum. Sic et in aliis huius metalli exemplis, et in hoc ipso Horatii cernitur. Tibia olim erat tenuis et simplex, nunc orichalco iuncta, olim

Tibia non, ut nunc, orichalco iuncta, tubaeque

Aemula; sed tenuis simplexque, foramine pauco,
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu:
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor, et urbes
Latior amplecti murus, vinoque diurno

erat pauco foramine, nunc aemula tubae. Vides opposita. Sed haec opposita et totum discrimen veteris et hodiernae tibiae multo clarius erit, si pro IVNCTA scribas LONGA. *Tibia non, ut nunc, orichalco, longa, tubaeque Aemula, sed simplex, tenuisque, foramine pauco, Adspirare et adesse choris erat utilis.* Tibia non facta erat ex orichalco, sed simplex (arundinea, buxea vel ossea) non longa, sed tenuis (parva), non aemula tubae (non altius flabat), sed habebat pauca foramina. Noti sunt versus Sophoclei, laudati a Cicerone ad Atticum II, 16. Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ. Ovid. XII Metam. 158. *Longave multifori delectat tibia buxi.* Observa *longam et multiforem*, quod plane idem est ac *longa et multo foramine*; πολύτρητος. Petronius Satyr. 28. *ad caput eius cum minimis Symphoniacus tibiis accessit, et tamquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit.* Transpositionem *simplex tenuisque* pro *tenuis simplexque* commendat et melior consecutio oppositionis, et euphonia.

Et urbem Latior amplecti murus. Ita editi scriptique *latior;* sed id perinde est ac *crassior*, quod minime hic vult Horatius. Curtius lib. V. de muro Babylonis: *Spatium triginta et duorum pedum in latitudinem amplectitur.* Hyginus Fab. CCXXIII, de eodem: *Murus in Babylonia, quem fecit Semiramis, latum pedes XXV, altum pedes LX.* Iuvenalis XII, 59. *Confisus ligno, digitis a morte remotus Quatuor; aut septem, si sit latissima teda.* Repono igitur, minima mutatione: *Postquam coepit agros extendere victor, et urbem Laxior amplecti murus. Latus* pro *laxus* passim interpolarunt Librarii. Ovidius Fast. II, 456. et Amor. II, x, 18. *Carceris Aeolii ianua laxa patet. Et medio laxe ponere membra toro.* Ubi maior pars Codicum *lata* et *late* exhibent. Aurelius Victor in Aureliano: *Muris urbem quam validissimis laxiore ambitu circumsepsit.* Victor Schotti in eodem: *Hic muris validioribus et laxioribus urbem sepsit.* Quintil. Declam. XII. *Exhausta est civitas funeribus, et desolatae domus, triste florentis quondam fortunae indici-*

Placari Genius festis impune diebus;
Accessit numerisque modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis;
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps:
Utiliumque sagax rerum et divina futuri

um, laxi muri. Seneca de Beneficiis VII, 10. *Aedificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia.* Consol. ad Marciam c. 17. *Videbis Syracusas, ipsam ingentem civitatem, laxius turritam, quam multarum urbium fines sunt.* Ita Cicero, *laxe habitare:* Velleius Paterc. II, 8. *Quo laxior fieret ipsius domus.* Plinius Hist. VI, 27. *Charax, oppidum Persici sinus intimum,* III *mill. pass. laxitate.* Recte igitur, *Laxior murus amplecti coepit*, hoc est, amplior, spatiosior. BENTLEIVS.

In omnibus, ut videtur, MSS. *urbes;* quod melius puto. Horatius in tota hac disputatione magis cogitat Graecos, quam Romanos. *Latior amplectitur murus* idem est ac si legeretur *latius amplectitur. Late amplecti* dicitur de quovis spatio tam in latitudinem quam longitudinem: unde et coniuncta reperias *longe lateque. Latus* et *late* propriam latitudinis significationem non servat, nisi ipsa mensura vel addatur vel ex rerum sententia cogitetur. Si fuisset ambiguum, Horatius scribere potuisset: *et urbes Latius amplecti muris.*

Liberque laborum. Nonnulla MSS. *malorum.* Non infrequens utriusque vocabuli in hoc numero et casu permutatio: in Codd. Virgilianis fere perpetua, ut Aeneid. IV, 169, VII, 481, alibi. Conferatur Cortius ad Lucani II, 317. Et sunt loca, ubi dubites, praeferasne *laborum* an *malorum.* Hic dubitari non potest. *Liber laborum rusticus*, opere finito, animum exhilarat.

Sic etiam fidibus voces crevere severis. Soni quoque lyrae facti sunt graviores, nimirum in choris Tragoediarum, ortumque est sublimius eloquentiae genus, idemque saepe obscurius, ut est sermo oraculorum. *Voces crevere*, ut Horatius in hac Epistola: *Interdum tamen et vocem Comoedia tollit.* Cicero de Oratore II, 12. *Paullulum se erexit, et addidit historiae maiorem sonum vocis Antipater.* Hunc Antipatrum in Legibus I, 2, dixit *paullo inflasse vehementius*, sumta a tibiis metaphora.

Et tulit eloquium insolitum. N. Heinsius coniecit *Extulit.*

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit; eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris et potus et exlex.

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. Cum legebam vetera Scholia, cogitabam aliquando an eorum auctores fortasse pro *sententia* vidissent *sapientia*. Acro: »Perspicax, inventrix utilium rerum philosophia, propter provisionem futurorum. *Prudentiam* sive philosophiam dicit enituisse studio; quae ita futura praevidet sicut divinatio." Commentator Cruquianus eadem fere habet. His scholiis similia sunt illa, quae Nepos de Attico scripsit cap. 9. *In quo si tantum eum prudentem dicam; minus, quam debeam, praedicem; cum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus augetur neque minuitur.* et cap. 16. *Sic omnia de studiis principum, vitiis ducum ac mutationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in his non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem.* Chorus adeo in Tragoediis *sapientiam* explicare coepit, quae rebus et verbis oracula Apollinis, *Dei sapientissimi*, referebat. *Sententia* quidem minus facile est intellectu.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum. Duo MSS. *cantavit.* Addo tertium, quod Gronovius vocat *Ros.* Facilis aberratio; et *cantavit* nasci potuit ex glossa. *Cantare* autem ex Bucolicis Virgilii Scholiastis erat pernotum.

Mox etiam agrestes Satyros nudavit. Ego *nudavit* non ab Horatio esse scriptum arbitror. *Nudare* Satyros proprie significat Satyris *vestes suas detrahere;* figurate, Satyros, ita vestibus privatos, *nudatos in scenam inducere.* Sed Satyri semper erant *nudi*, hoc est, nullum gestabant corporis tegumentum, praeter pellem hircinam. Poeta Satyros inducere potuit *nudos*, sicuti erant, non *nudatos.* Si poeta vestitos prius Satyros primus *inducit nudos*, is eleganter *nudat.* Sed hic poeta est auctor carminis Satyrici; ergo nihil mutare in ipsa forma vestium potuit, sed eam formam ipse constituere debuit: *nudavit in scena*, ut in carminibus facimus, quae facta esse canimus. Sic Alpinus *iugulat Memnona* apud Horat. Serm. I, x, 35: pastor apud Virgil. Eclog. VI, 51. *Phaetontiadas musco circumdat amarae Corticis;* ut alia mittam, quae docti interpretes ad Theophr. Charact. VIII, et Propert. I, VIII, 1. annotaverunt. Quare pro NVDAVIT exigua mutatione repono

Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo:
Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna Tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum,

INDVXIT, proprium et frequens in hac re vocabulum. *Mox etiam agrestes Satyros induxit.* Verbum saepe illustratum est, v. c. a Cortio ad Plinii Epist. I, 8. Et sic legisse videtur Diomedes Grammat. III. »Satyrica est apud Graecos fabula, in qua item Tragici poetae non reges aut heroas, sed Satyros induxerunt, ludendi causa ridendique."

Ita commendare dicaces Conveniet Satyros. Recte antiqui interpretes. Acro: » Omnia quae dicimus, desideramus placere, ac per hoc videmur commendare auribus auditorum." Quintilian. Instit. Orat. X, 1. *affectus nemo historicorum commendavit magis.* Perverse nonnulli interpretantur *adhibere.*

Regali conspectus in auro nuper et ostro. In nonnullis iterum traiecta vocabula reperiuntur: *in ostro nuper et auro.* Pro *nuper* vidi qui coniecerit *purpura.* Bona emendatio, nisi tale adverbium omnino requireretur, et *ostro* sequeretur.

Paullum pudibunda. In uno Cod. *parum.*

Inornata et dominantia nomina. Operae pretium arbitror explicare, quid sint *inornata* nomina; nimirum usitata, quae versantur in sermone et consuetudine quotidiana, vulgaria, opposita *poeticis* et *oratoriis*: conferatur auctor ad Herenn. IV, 12. Nemo fere poeta hoc melius intellexit, quam Virgilius, idque recte animadverterunt antiqui interpretes. Ita Georg. I, 341. *Testa cum ardente viderent scintillare oleum:* ne diceret *lucernam* tenuiter. II, 220. *Candida venit avis longis invisa colubris;* ubi describit *ciconiam.* Aeneid. I, 726, *lychnos* Graece posuit, ne vile aliquid introferret. Aeneid. IV, 254. *avi similis, quae circum litora, circum Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta;* incongruum erat heroico carmini, si *mergum* vel *fulicam* diceret. Haec Servius recte observavit. Similia Scholiastae Horatii observasse videntur. In reliquiis

Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet;

annotationum exempli caussa invenio posita vocabula *capsa*, *pagina*. Iam Quintil. VIII, III, reprehendit *cista*. » Sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum, ac velut macula: ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quaedam non tam ratione, quam sensu indicantur: ut illud — *caesa iungebant foedera porca*, fecit elegans fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile erat. In quibusdam ratio manifesta est. Risimus, et merito, nuper poetam qui dixerat, *Praetextam in cista mures rosere Camilli*. At Virgilii miramur illud *Saepe exiguus mus:* nam epitheton *exiguus* aptum proprium offecit, ne plus exspectaremus, et casus singularis magis decuit, et clausula ipsa unius syllabae, non usitata, addidit gratiam." *Porca* nempe minus quotidiano sermone frequentatur quam *porcus: cista* erat vulgata, *mures* sine epitheto et sic in numero plurali, vile. Longinus § 43. περὶ μικρότητος ὀνομάτων in Theopompo reprehendit τοὺς θυλάκους καὶ τὰ ἀρτύματα καὶ τὰ σακκία, praesertim sic inter res splendidas posita. Talia igitur vocabula sunt *inornata*, quotidie usurpantur, res communis vitae tenues significant, regnant et dominantur. Non erat igitur, cur Hurdius pro *inornata* reponeret *honorata*.

Pythias, emuncto lucrata Simone talentum. Acro: » Quae est ausa eludere dominum suum. Non dicit de Pythia Terentiana, sed quae apud Lucilium, tragoediographum, inducitur ancilla per astutias accipere argentum a domino. Nam fefellit dominum et accepit ab eo argenti talentum, fuit enim haec eadem meretricula rapax, ut Thais, quae lucrum facit." Wytenbachius annotavit: » Davus et Pythias sunt quidem personae in Terentianis fabulis: sed hoc de emuncto Simone per Pythiadem non ibi exstat. Scholiasta Cruquii ex Lucilio sumtum scribit. Forte legendum *Caecilio*." Quamquam hoc de talento fieri potuit in deperdita aliqua Terentii fabula, probabilis tamen est emendatio; illudque nomen saepe corruptum est in *Caelitius*, unde facillime fit *Lucilius*, notissimus

Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
Ne, velut innati triviis, ac paene forenses,
Aut nimium teneris iuvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.

Grammaticis. Pro *Pythia* scribendum *Pythiade*. Ultima pars scholii etiam corrupta est. Videntur nonnulla deesse in hanc sententiam; fuisse Pythiadem ancillam Thaidis, bonae illius apud Terentium, non alterius cuiusdam, rapacis. Fortasse est annotatio Grammatici, Horatiana exempla ad Eunuchum Terentianam referentis. Atque hinc accidere potuit ut in utroque Codice D'Orvilliano, hoc saeculi noni, illo decimi tertii, legatur: *Pythias eunucho lucrata Simone talentum.*

Tantum de medio sumtis accedit honoris. In quibusdam MSS. *accedet.* quod mihi silentio praetereundum esse non videtur. *Tantum honoris accedit; quomodo* accedit, et *per quem* accedit? In dramate Satyrico, inquit, personam ex vita communi, ridiculam aliquam et omnibus cognitam, argumentum faciam. Omnes quidem sperabunt se idem posse scribere, sed conati, frustra laborabunt. Tantum series et iunctura valent: tantum honoris per seriem et iuncturam *accedet:* ego addam istum honorem de medio sumtis in eo carmine, quod sequar. Series et iunctura, modus quo sumta de medio tractes, multum valent. Ego ostendam. Tantum a me honoris *accedet.*

Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni. Marklandus ad Euripidis Supplices pag. 257, vere corrigit *educti*, hoc est *educati*. Verbum sequens *innati* hoc valde commendat: ibi potuisset etiam de Satyris dicere *innati silvis: Silvis innati — educti triviis. Deducimus* deos ex sua sede in alteram, ubi, relicta priore, manent. Ita Virgil. III, 10. *Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, Aonio rediens deducam vertice Musas.* Satyri non manent in scena, sed identidem visuntur, et *scena* non est altera neque nova Satyrorum sedes, sed repraesentatio veteris et antiquae. Satyri revera non ex silvis suis *deducuntur*, sed in silvis, simulatis quidem, at naturae imagine, apparent, quales et ipsi et silvae sunt. Vitruv. V, 8. *Satyricae scenae ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquis agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis.* Satyri ergo, si ad vivum reseces, sedem non mutant, sed eandem servant: non deducuntur ex silvis, sed manent, ubi semper fuerunt.

Aut immunda crepent ignominiosaque dicta. N. Heinsius ex Cod. Moreti annotavit *ignominiosaque dictu.* atque ita legimus in eadem hac Epistola vs. 107. *Tristia moestum Vul-*

Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet;

annotationum exempli caussa invenio posita vocabula *capsa*, *pagina*. Iam Quintil. VIII, III, reprehendit *cista*. » Sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum, ac velut macula: ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quaedam non tam ratione, quam sensu indicantur: ut illud — *caesa iungebant foedera porca*, fecit elegans fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile erat. In quibusdam ratio manifesta est. Risimus, et merito, nuper poetam qui dixerat, *Praetextam in cista mures rosere Camilli*. At Virgilii miramur illud *Saepe exiguus mus:* nam epitheton *exiguus* aptum proprium offecit, ne plus exspectaremus, et casus singularis magis decuit, et clausula ipsa unius syllabae, non usitata, addidit gratiam." *Porca* nempe minus quotidiano sermone frequentatur quam *porcus: cista* erat vulgata, *mures* sine epitheto et sic in numero plurali, vile. Longinus § 43. περὶ μικρότητος ὀνομάτων in Theopompo reprehendit τοὺς θυλάκους καὶ τὰ ἀρτύματα καὶ τὰ σαγήνια, praesertim sic inter res splendidas posita. Talia igitur vocabula sunt *inornata*, quotidie usurpantur, res communis vitae tenues significant, regnant et dominantur. Non erat igitur, cur Hurdius pro *inornata* reponeret *honorata*.

Pythias, emuncto lucrata Simone talentum. Acro: »Quae est ausa eludere dominum suum. Non dicit de Pythia Terentiana, sed quae apud Lucilium, tragoediographum, inducitur ancilla per astutias accipere argentum a domino. Nam fefellit dominum et accepit ab eo argenti talentum, fuit enim haec eadem meretricula rapax, ut Thais, quae lucrum facit." Wytenbachius annotavit: »Davus et Pythias sunt quidem personae in Terentianis fabulis: sed hoc de emuncto Simone per Pythiadem non ibi exstat. Scholiasta Cruquii ex Lucilio sumtum scribit. Forte legendum *Caecilio*." Quamquam hoc de talento fieri potuit in deperdita aliqua Terentii fabula, probabilis tamen est emendatio; illudque nomen saepe corruptum est in *Caelitius*, unde facillime fit *Lucilius*, notissimus

Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
Ne, velut innati triviis, ac paene forenses,
Aut nimium teneris iuvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.

Grammaticis. Pro *Pythia* scribendum *Pythiade*. Ultima pars scholii etiam corrupta est. Videntur nonnulla deesse in hanc sententiam; fuisse Pythiadem ancillam Thaidis, bonae illius apud Terentium, non alterius cuiusdam, rapacis. Fortasse est annotatio Grammatici, Horatiana exempla ad Eunuchum Terentianam referentis. Atque hinc accidere potuit ut in utroque Codice D'Orvilliano, hoc saeculi noni, illo decimi tertii, legatur: *Pythias eunucho lucrata Simone talentum.*

Tantum de medio sumtis accedit honoris. In quibusdam MSS. *accedet.* quod mihi silentio praetereundum esse non videtur. *Tantum honoris accedit; quomodo* accedit, et *per quem* accedit? In dramate Satyrico, inquit, personam ex vita communi, ridiculam aliquam et omnibus cognitam, argumentum faciam. Omnes quidem sperabunt se idem posse scribere, sed conati, frustra laborabunt. Tantum series et iunctura valent: tantum honoris per seriem et iuncturam *accedet:* ego addam istum honorem de medio sumtis in eo carmine, quod sequar. Series et iunctura, modus quo sumta de medio tractes, multum valent. Ego ostendam. Tantum a me honoris *accedet.*

Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni. Marklandus ad Euripidis Supplices pag. 257, vere corrigit *educti*, hoc est *educati*. Verbum sequens *innati* hoc valde commendat: ibi potuisset etiam de Satyris dicere *innati silvis: Silvis innati — educti triviis. Deducimus* deos ex sua sede in alteram, ubi, relicta priore, manent. Ita Virgil. III, 10. *Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, Aonio rediens deducam vertice Musas.* Satyri non manent in scena, sed identidem visuntur, et *scena* non est altera neque nova Satyrorum sedes, sed repraesentatio veteris et antiquae. Satyri revera non ex silvis suis *deducuntur*, sed in silvis, simulatis quidem, at naturae imagine, apparent, quales et ipsi et silvae sunt. Vitruv. V, 8. *Satyricae scenae ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquis agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis.* Satyri ergo, si ad vivum reseces, sedem non mutant, sed eandem servant: non deducuntur ex silvis, sed manent, ubi semper fuerunt.

Aut immunda crepent ignominiosaque dicta. N. Heinsius ex Cod. Moreti annotavit *ignominiosaque dictu.* atque ita legimus in eadem hac Epistola vs. 107. *Tristia moestum Vul-*

Offenduntur enim quibus est equus, et pater, et res:
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.
Syllaba longa, brevi subiecta, vocatur iambus;
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit

tum verba decent; iratum plena minarum; Ludentem lasciva; severum seria dictu. ubi idem Heinsius malebat *seria dicta.*

Offenduntur enim quibus est equus, et pater, et res. Waddelius in Animadv. Crit. pag. 85. haec verba sic transponit: *Offenduntur enim pater, et quibus est equus et res.* Ego ratione, non ita multum diversa, malim: *Offenduntur enim patres, equus et quibus et res.* Videamus prius de vulgata lectione. *Quibus est pater* potest significare illustri genere ortos. Plus enim cogitatur, quam in verbis esse videtur. Hic nullum habet patrem, hic habet, hic minime sine patre est. Sed et hoc dici potest de *equitibus.* Quos quum accurate indicaverit *quibus est equus et res*, requiritur ut et *patricius* proprio aliquo nomine indicetur et ab *equite* distinguatur. Hoc erit *offenduntur patres.* Horatius in tali iudicio *patres* et *equites* coniungit, plebem excipit: vide Bentleium ad vs. 113. *Sine patre* appellantur homines in omni ordine et conditione. Livius IV, 3. *Servium Tullium, captiva Corniculana natum, patre nullo, matre serva, regnum tenuisse.* X, 18. ubi plebeius loquitur: *En unquam fando audivistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos.* Ubi plura interpretes, et ad Ciceron. de Oratore II, 54. ut et Sturzius de Dialecto Macedonica p. 146. Non igitur tolerari potest vulgata lectio. In emendatione Waddeliana *pater* minus eleganter in numero singulari ponitur.

Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit Nomen iambeis. Iambus iussit nomen accrescere *iambeis* trimetris, mihi non placet. Ubi pes iambus regnat, et quidem unice, aliis omnibus exclusis, regnat, carmina sua appellare potest dimetra vel trimetra, additum *iambea* sordet. Grammaticus recte enarrat: »quia Graeci per dipodiam iambica metiuntur, hinc appellata sunt iambica trimetra, licet sex pedes habeant." *Iambus iambica trimetra nominavit*, non ferendum. Vide quam parum IAMBEIS differat a CARMINIBVS. Legamus: *Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit Nomen carminibus.* Iambus, quamquam reddat sex ictus, in scena tamen sua carmina vocari voluit *trimetra.* Idque eo minus mirum accidit, quia in iis carminibus primum omnes erant iambi. Ob celeritatem, licet essent

Nomen iambeis, quum senos redderet ictus;
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens: non, ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic et in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus; et Ennî

sex, audiebantur tres ictus. Pro *accrescere*, in nonnullis Codd. apud Feam *accedere*, quod, ut in re tenui et grammatica, longe melius iudico. Et sic erat in Moretano.

Spondeos stabiles in iura paterna recepit. Vir doctus in Actis Societatis Ultraiectinae T. III pag. 191. legendum putat *iura alterna.* Magis, puto, ingeniose, quam vere. Horatius tum potius scripsisset: *In loca spondeos stabiles alterna recepit:* quo facto, recte sequeretur exceptio, *ea tamen lege, ut sibi secundum et quartum servaret.* Eadem exceptio recte nunc sequitur. Nam cui tribuimus iura paterna, ei tribuimus idem ius, quod ipsi habemus. Sed dictu difficile est, quid sint *iura alterna.* Eteocles et Polynices pacti sunt, ut alternis annis regnarent. Eteocles, suo anno praeterito, fratrem in *iura alterna* recipere noluit. Talia *iura* vix ad hunc locum accommodari posse videntur.

Commodus et patiens: non, ut de sede secunda Cederet, aut quarta socialiter. Ego, quae fortasse unice mea ipsius est culpa, locum non intelligo. Horatius loquitur de iambicis sex pedum, quae Graeci vocant *trimetra.* Pedes primum erant omnes iambi, deinde immixti quoque spondei, sed non ubique sine discrimine. In monstranda sede, unice iambis destinata, cogitat Latine, hoc est, sequitur morem scansionis Latinum per *sex* pedes, non Graecum per *tres.* Graeci enim non habent *quartam* sedem in trimetro. Iam nominat sedem *secundam* et *quartam*, ex quibus Iambus nunquam cedit: *sextam*, quasi perinde esset, in ea *iambus* poneretur an *spondeus*, omittit. Sumamus exemplum senarii ex Horatio: *Movit nepotem Telephus Nereium.* Interpretare metri rationem verbis Horatianis: Iambus recepit spondeum in iura paterna, commodus et patiens (sunt enim tres spondei, par numerus iamborum) sed iambus non cessit sede secunda aut quarta. Vides, quid desit. Atque sedes *sexta* ideo etiam minus desiderari potest, quia Romani veteres, Accius, Ennius, alii, iambum ex secunda et quarta sede extrudentes, tamen in *sexta* constanter retinuerunt. Ego illud SEXTA latere puto in SOCIALITER, scribendumque: *Commodus et patiens: non, ut de*

In scenam missos cum magno pondere versus,

sede secunda Cederet aut quarta sextave. Sed hic et in Accî sq. Animadverte in SOCIALITER et SEXTAVE SED esse eundem literarum numerum; atque illud adverbium *socialiter* longe melius abest, cum praecedant duo adiectiva idem significantia; quae si in adverbia mutes, ut vulgaris linguae ratio postulabat mutari, et cogitando efferamus tamquam ea essent adverbia, habebis *commode*, *patienter*, *socialiter*. Ea est bonitatis iambeiae nimia laudatio.

In scenam missos magno cum pondere versus. Hic locus, si quis alius in hoc auctore, non parum, ut ait ipse, D. Heinsium exercuit: *Hic et in Accî nobilibus trimetris apparet rarus et Ennî. In scenam missos magno cum pondere versus, Aut operae nimium celeris curaque carentis, Aut ignoratae premit artis crimine turpi.* Rem tandem expedire sibi visus est, mutata distinctione, *apparet rarus: et Ennî In scenam missos magno cum pondere* sq. Ego vero, quid prosit, aut ut laboranti loco medeatur haec distinctio, nullus video. Ligat quidem et coagmentat orationem, dissolutam alioquin et hiantem: ipsam vero difficultatem intactam relinquit. *Hic*, inquit, *rarus apparet in Accii trimetris; et premit versus Ennii crimine ignoratae artis.* Quid narras? An *versus* aut sciunt, aut ignorant artem metricam? Quis ita sensit, quis unquam sic locutus est? Illud quoque quale est? *premit versus crimine operae celeris et negligentis.* An *versus* se ipsi faciunt, et metri curam habent; ut crimen incuriae ipsis, non auctori impingatur? *Iambus* vero, inquit, *accusat versus cum magno pondere missos:* quomodo, sodes, is accusat aut *crimine premit*, qui non *apparet?* Haec et in vulgata et in Heinsiana distinctione vitia sunt; qualia quidem nec defendi nec excusari possunt. Tu vero mecum lege et distingue: *Hic et in Accî Nobilibus trimetris apparet rarus et Ennî. In scenam missus cum magno pondere versus Aut operae nimium celeris* sq. Cum Iambus, inquit, ex artis et musicae ratione ter in unoquoque trimetro apparere debeat, in secunda scilicet et quarta et sexta sede; neglexerunt hoc poetae veteres Accius, Ennius ceterique; contenti enim sextum modo pedem iambum facere (sine quo nullum versus vestigium esset) in ceteris susque deque habuerunt: adeo ut iambus extra pedem ultimum rarus apud illos appareat. Sic in his Ennii Acciique apud Ciceronem: *Argo, qua vecti Argivi delecti viri: Colchis imperio regis Peliae per dolum: Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu: Ita dum interruptum credas nimbum volvier:* in his, inquam, omnibus nullus est Iambus, praeterquam in loco sexto, At, inquit Noster, huiusmodi *versus*, *cum magno* spondeorum vel anapaestorum *pondere in scenam missus*, *premit* scriptorem aut incuriae crimine, aut

Aut operae celeris nimium curaque carentis,

ignorantiae. Verum quidem hoc est: non tamen ignorantia, sed negligentia et spe veniae peccabant veteres. Cum enim Latinus sermo pauciores habeat breves syllabas, quam Graecus: qui primi Graeca verterunt, labore et difficultate territi, simulque et spectatorum imperitia fidentes atque abutentes, spondeos passim pro iambis intruserunt. Cumque in re nova nemo esset qui correctius scriberet; sine comparatione pulchriorum vel deformia illa satis pulchra videbantur, *Et data Romanis venia est indigna poetis.* Postea tamen sub Horatii aetate, cum Graeca passim in manibus esse coeperunt, non ulterius aequis auribus accipiebantur tarde volventes spondei, sed coacti sunt poetae ad artis legem et normam Graecorum modulatius scribere. Quod cum ex Senecae Tragoediis iam licet cognoscere, tum ex Fragmentis quae ex Ovidii, Varii, Gracchique fabulis hodie supersunt. Ovidius in Medea apud Quintilianum VIII, 5. *Servare potui, perdere an possim rogas?* Varius Thyeste, ibidem III, 8. *Iam fero infandissima, Iam facere cogor.* Gracchus Thyeste, apud Priscianum VI, p. 719. *Mersit sequentes humidum plantas humum.* Ita legendum arbitror, non *plantis. Humum* nominativus est, generis neutrius. Idem Atalanta, ibidem p. 683. *O grata cardo, regium egressum indicans.* Hi trimetri, qui soli nunc restant ex Horatio supparibus Tragicis, exactissime servant leges Graecorum; ut ex his de integris Fabulis idem existimare liceat. Vides iam, opinor, claram liquidamque esse, quam dedimus, emendationem: *In scenam missus cum magno pondere versus.* Ubi insuper *cum magno pondere* ex omnibus scriptis et nostris et Bersmanni adscivimus. Minus scite codices *cum magno pondere*, inquit Bersmannus: non advertit scilicet et alias sic solere Nostrum (vide Sermon. I, x, 49.) et hic Venerem quandam in ipsa pronuntiatione studio quaesitam esse: *Cum magno pondere;* quae dum profers, ipsum illud pondus et lente ambulantes spondeos voce et spiritu persentiscis. Lapsus autem est graviter optimus Victorius ad Ciceronis Fam. V, 2. ubi ex MSS. quibusdam reponi hic iubet, *hic et in Accî Mobilibus trimetris apparet rarus et Ennî.* Nihil infelicius dici potuit. Esto enim ut iambi, sive trimetri, ubi puri sunt, citi, celeres, mobiles, praepetes appellentur: at hic utique, ubi rarus iste pes trimetros ingreditur, sed stabilibus spondeis loco cedere cogitur; tantum abest ut mobiles et incogitati fiant trimetri Enniani, ut tarde, lente, graviter, ponderose incedant, quod ipsum hic queritur et vituperat Flaccus. Recte igitur *nobilibus*, *εἰρωνικῶς;* quos isti fautores et admiratores veterum in caelum ferebant. Ceterum hunc locum diu correxeram; cum postea deprehendi, et Theodorum Marcilium illud *missus* priorem ex coniectura dedisse, et Cl. etiam Da-

Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poetis.

cierium in illius sententiam recte et prudenter concessisse. BENTLEIVS.

In annotatione Bentleiana tria sunt animadvertenda. Quomodo, inquit, versus, qui non apparet, accusat aut crimine premit? Sed non legitur illud *non apparet;* verum *rarus apparet*. Igitur recte accusat. Si legatur *missus versus premit*, dura est ellipsis substantivi *scriptores*, *auctores*. Denique caesura, quae minor est in *cum magno pondere* quam *magno cum pondere*, prius, ut taceam MSS., commendat. Veteres tamen tarditatem praecipue in ipsis spondeis quaesivisse videntur. Virgilius: *Illi inter sese magna vi brachia tollunt*. ubi in nullo Codice inventum est *vi magna*. Tota disputationis Horatianae natura et orationis bene connectendae facilitas mihi hanc distinctionem et scripturam postulare videntur: *Non ita pridem, Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures, Spondeos stabiles in iura paterna recepit Commodus et patiens: non, ut de sede secunda Cederet aut quarta sextave. Sed hic et in Accî Nobilibus trimetris apparens rarus et Enni, In scenam missos cum magno pondere versus Aut operae celeris nimium curaque carentis, Aut ignoratae premit artis crimine turpi*. Horatius iam vs. 251 *Iambum* fecit personam. Iussit Iambus sua illa carmina appellari trimetra. Iambus admisit spondeos, non tamen in sedem secundam, quartam et sextam. Sic Iambus egit apud Graecos, sic Graeci eum fecerunt agentem. Sed vide quid Romani fecerint. Iambus ille raro apparet in trimetris Accii et Ennii; saepe nusquam cernitur nisi in sexta sede. Quando etiam vel in secunda vel in quarta vel in utraque stat, stare videtur, tamquam ceteros versus reprehendat et accuset, quasi celerius et sine arte elaboratos. Si omnes versus Accii et Ennii unum modo haberent Iambum, tarditas minus in oculos incurreret. Nunc ex comparatione tardiorum cum celerioribus discrimen sentitur. Iambus hic illic apparens premit ceteros versus. Comparatio, ut dicit Seneca, rem tollit vel deprimit.

Et data Romanis venia est indigna poetis. Horatius hoc sibi obiici fingit, ut saepe in hac et aliis Epistolis et Sermonibus; veluti statim in principio: *Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas*. Ibi ipse respondet: *Scimus*, et tum refutat. Hic culpaverat versus Accii et Ennii. Sunt, inquit, immodulati. Dicet fortasse aliquis: non quivis iudex hoc videt, et haec venia Romanis datur. Horatius respondet. Fac ea sic esse, ut tu dicis. Ideo mihi, qui meliora videam, negligenti esse non licet. Hactenus disputatio recte procedit, sed venia

Idcircone vager scribamque licenter? an omnes

indigna stare non potest. Nam qui Accium et Ennium excusat, dicere debuit *digna*, alioquin ipse reprehendit, quod excusat. Omnino scribendum est: *Nec data Romanis venia est indigna poetis*. Verum fortasse est versus veterum Romanorum esse duriores: sed non omnes vident: et hoc iam concessum est Romanis, neque immerito. Nulla res statim et inventa et perfecta est. Veteres illi non esse potuerunt tam elegantes quam Graeci.

Scribamque licenter? an omnes Visuros peccata. Difficilis locus, et ab Interpretibus vexatus; quique eos vicissim multum torsit et frustratus est: *Et data Romanis venia est indigna poetis. Idcircone vager, scribamque licenter? an omnes Visuros peccata putem mea tutus et intra Spem veniae cautus? vitavi denique culpam Non laudem merui*. Ubi Grifolus, Luisinus et Marcilius aliam distinctionem inducunt, *an omnes Visuros peccata putem mea? tutus et intra spem veniae cautus, vitavi denique culpam*. Rectior quidem haec, quam quae hodie circumfertur: neque tamen difficultatem tollit. Nimirum legendum erat *ut* pro *an*, quod et Codex Statii exhibet, et Battelianus noster pro varia lectione profert: *Idcircone vager, scribamque licenter? Ut omnes Visuros peccata putem mea, tutus et intra Spem veniae cautus?* Quod Statius in hanc sententiam explicat: *Itane licenter scribam, contemtis omnibus et disiectis numeris, ut omnes id et sentiant et ignoscant tamen*. Non persensit vir eruditus *ut* poni hic pro *quamvis, licet, posito et concesso:* quo sensu infinitis locis apud scriptores occurrit: Ovidius Epistola Didus vs. 15. *Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?* Ergo hoc voluit Horatius: Indigna venia data est immodulatis trimetris; non omnes auditores peccatum sentiunt, et qui sentiunt, ignoscunt. quid tum? *Ideone* sciens prudensque *ab artis praeceptis vager, et scribam licenter? tutus* nimirum futurus, et *intra spem veniae cautus*, quamvis *omnes putem peccata mea visuros?* minime vero: nam, utcumque haec metri vitia condonari et ignosci soleant, at certe eo pacto *culpam* tantummodo *vitavi*, veniam modo impetravi, *non laudem merui*. Vos vero, o Pisones, quibus virtus est animusque ad laudem erectus, *exemplaria Graeca studiose legite* atque imitamini. Clara profecto haec est et egregia sententia; unde et Grifoli ceterorumque interpunctio facile redarguitur; et Lambini gravis error refutatur, qui fidenter interpolabat, *an omnes Visuros peccata putem mea, tutus et extra Spem veniae cautus?* Et sane, si *an* hic legeris, et oppositionem in his esse finxeris, *scribamne licenter: an* contra *non peccabo spe veniae; quandoquidem omnes mea peccata visuros putem*, speciem veri habebit Lambini correctio. Verum haec inter-

Visuros peccata putem mea tutus et intra

pretatio cum sequentibus pugnat: qui enim accurate scribit, omni peccatorum venia sibi praecisa, non *culpam* modo *vitat*, sed et *laudem meretur*. Nimirum ea, quam iam adsciscimus, lectio sola rem omnem expedit: *Tutus* et in tantum, catenus, hactenus *cautus*, ut veniam non desperem, etsi omnes mea peccata animadversuros existimem. Vides iam, quid sibi velit *intra spem veniae cautus*. At mirificus plane est Dacierius, qui Lambini quidem enarrationem sequitur, retinet tamen *intra;* contenditque *intra spem*, perinde esse ac *extra spem*, sive *sine spe veniae*. Arrigamus aures, ut novum hoc et inauditum vel sero discamus. Sic, inquit, apud Florum *intra gloriam* idem est ac *sine gloria*. Hoc vero vix minus admirandum est, quam illud alterum. Videamus locum I, 3. ubi de Horatio agitur, qui sororem post eius victoriam flentem ferro occiderat: *Citavere leges nefas: sed abstulit virtus parricidam; et facinus intra gloriam fuit.* Quid ergo? an hoc *sine gloria* interpretabimur? Haud vidi magis. Imo idem hic *intra*, quod ubique alias significat. Facinus *intra gloriam* fuit, non excessit victoriae gloriam, obruebatur a gloria, sic ut reus absolveretur. At si *sine gloria* erat facinus, mirum adeo, ni reus damnaretur. Facessant igitur febriculosae explicationes; et vera lectione reperta conquiescamus: quam et Scholiastae olim Acroni cognitam et probatam coniicere licet. Sic enim ille enarrat: *An debeo securus esse, data venia*, quamvis *palam erunt peccata mea?* Certe qui haec commentabatur, non *an*, verum *ut*, sicut nos hodie, legebat. BENTLEIVS.

Multae difficultates in explicandis Sermonibus et Epistolis oriuntur ex eo, quod Horatius quum fingit interrogationes, et ipse addit subiectiones, omittit consueta illa: *at, sed, dicet aliquis, dicit hic, nonnulli fortasse dicent*, similia. Ea obscuritas in recitatione minor est, quam in lectione. Poeta nunc, de modulatione versuum agens, bis contra perspicuitatem peccavit. Alloquitur Pisones. Ergo Pisones ista Horatio opponunt. Dividamus sermonem Horatii et Pisonum, additis nominibus: HORATIVS. *hic et in Accî Nobilibus trimetris apparens rarus et Enni, In scenam missos cum magno pondere versus Aut operae celeris nimium curaque carentis, Aut ignoratae premit artis crimine turpi.* PISONES. *Non quivis videt immodulata poemata iudex: Nec data Romanis venia est indigna poetis.* HORATIVS. *Idcircone vager scribamque licenter, et omnes Visuros peccata putem haud mea? Tutus et intra Spem veniae cautus vitavi denique culpam, Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca Nocturna versate manu, versate diurna.* PISONES. *At nostri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales.* HORATIVS. *Nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte mira-*

Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,

ti, si modo ego et vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto, Legitimumque sonum digitis callemus et aure. Sermo ita divisus claram adeo et facilem praebet sententiam, ut prorsus nulla interpretatione egeat. In ipsis vocabulis paullulum mutavi. De APPARENS pro APPARET iam dixi, ut de NEC pro ET. In Codd. D'Orv. erat SED. Tum VT *omnes* converti in ET *omnes*, et inserui HAVD. Pro *laudem*, in D'Orv. *laudes;* pro *vos exemplaria*, legitur *et vos exemplaria*. Iudicium Horatii de immodulatis Accii et Ennii versibus severius Pisonibus videtur. Quo, inquiunt, tantam severitatem? Pauci illud immodulatum animadvertunt: et Romanis poëtis, qui magna virium intentione tandem aliquid non plane contemnendum protulerunt, merito haec venia datur, ut sint paullo negligentiores, quam Graeci. Horatius primum respondet ad posterius: ideo, quia haec venia iis data est, mihi non vagari licet; deinde respondet ad prius: si non quivis videt, quid hoc ad me? Ea cogitatio me non faciat negligentem. Quid enim? Si hoc facerem, tutus quidem essem ac cautus ita ut venia mihi negari non posset, vitavissem quidem culpam, laudem non meruissem. Ne sic agamus, Pisones; imo vosque et ego Graecos potius imitemur. Graecos? Quare? inquiunt Pisones; proavi tamen nostri Plautum admirabantur. *Intra spem veniae cautus* is dicitur, qui hactenus cavet, ne spem veniae amittat; satis habet, si eam spem retinet. Qui tantum peccavit, ut sperare veniam non possit, is *extra spem veniae* est, vel potius *ultra, citra*. Conferantur interpretes ad l. l. Flori, ad Propert. III, VII, 2. et Quintil. Inst. Orat. III, 1. et XI, 3.

At nostri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales. Ita nunc fere editores *nostri proavi:* cum et editiones principes et omnes fere omnium membranae, nostrae certe meliores, Graevianae, Vossianae, Leidensis, Reginensis cum aliis habeant, *At vestri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales; nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati.* Quid autem attinet a Codicum auctoritate discedere, ut lectionem, si non deteriorem, at certe nihilo meliorem adoptemus? *Vestri proavi*, o Pisones; nam hos iam compellaverat: *Vos exemplaria Graeca Nocturna versate manu versate diurna. At vestri prouvi Plautinos* cet. Nihil profecto hic est, quod quempiam offendat. At illud

Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos

nostri proavi magna circumveniunt incommoda. Quippe omnium se cachinnis exposuisset Noster, si patre libertino, homine Graeculo, ut equidem puto, vel Syro forte aut Afro natus, *nostros proavos* seu incaute sive gloriose dixisset: quasi ipse Paullus vel Messalla vel Pompilius sanguis esset. Id quod olim Victorius Lambinusque recte iudicarunt. At manum iniicit Theodorus Marcilius, qui, *perperam*, ait, *correxere* vestri: *nam civi et equiti et tribuno militum fas erat dicere* nostri proavi; *quemadmodum Seneca, quamquam Iberici generis*, nostris maioribus *dixit*. Atqui, o bone, non *vestri* sed illud tuum *nostri* a correctoribus est; cum et scripti libri et primitus cusi prius agnoscant. Senecae vero dictum huc pertrahere, et ut par vel simile huic proponere, cuius est iudicii? Epist. I ad Lucilium: *Tu tamen malo serves tua, et bono tempore uti incipias: nam, ut visum est maioribus nostris, sera parsimonia in fundo est.* Quinam hic *maiores?* an dictum hoc vetus, ex Hesiodo ductum, ad solos *Romanos* attinebat? verum, esto ut ad eos solos: Seneca, ut notum est, equestri genere est ortus, Cordubae, coloniae veteris Romanae, ob primorum colonorum nobilitatem Patriciae cognominatae; ut nihil obstet, quin Senecae maiores vel a Regibus usque Romani fuerint. Hunc tu in familiae quaestione Nostro comparas, qui, *nullis maioribus ortus*, primus suorum ingenuus erat? Imo ut scias quo hominum risu, quo suo stupore *nostri proavi* dicturus hic esset Flaccus; vide modo Vopisci locum in Caro cap. 4. ubi, contra eos qui Carum Mediolanensem fuisse tradiderant, *Ipse*, inquit, ut epistola eius indicat, Romanus vult videri. Verba epistolae sunt: *Maiores nostri, Romani illi principes* cet. Et mox, *Fac igitur maioribus nostris, id est Romanis non discrepemus viris:* ad quae Vopiscus, *Vides*, ait, *quod tota epistola maiores suos Romanos vult intelligi.* Hoc, opinor, exemplo, si *nostros proavos* Flaccus appellasset qui olim in scena Plautinas fabulas admirati sunt, utique *maiores suos Romanos* voluisset intelligi. Sed totam hanc quaestionem ut inutilem rescindit Dacierius: nimirum *nostri* legendum esse; non tamen Horatii haec, sed Pisonum esse verba, qui priora illa de exemplaribus Graecis evolvendis impugnant: quibus ille continuo respondet, *Nimium patienter utrumque.* Atque hoc demum ille pacto miram quandam huic loco venerem accrescere putat. Suum scilicet cuique est iudicium. Nam quod huic tam venustum est, a Grifolo olim excogitatum, Victorio duriusculum visum est, Var. Lect. XV, 13. Adde vero, si vis, et absurdiusculum videri; praeter cetera enim, quae mitto, vide modo illa, quae sequuntur: *nimium patienter utrumque Ne dicam stulte mirati: si modo ego et vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto.*

Scimus inurbanum lepido seponere dicto,

Attende sodes ad illud *vos*, o Pisones. Perquam scilicet venuste respondet Noster; si eos qui (ut vult Dacierius) iam Plautum Graecis opposuerant, eos inquam ipsos statim appellat, ut secum sentientes et Plautum haud magni aestimantes. BENTLEIVS.

Non pauca sunt MSS. in quibus *nostri* legitur. Ni legeretur, *nostri* et *vestri* (*vostri*) in MSS. centies confunduntur, adeo quidem, ut Cortius, qui plurimos Codices tractavit, ad Lucanum V, 33 testatus sit, librarios ista pronomina nunquam cum cura distinxisse. *Nostri proavi* sunt verba Pisonum. Ita supra explicavi, nesciens iam Grifolum et Dacierium idem censuisse. Quid in eo duriusculum putet Victorius, non intelligo. Horatius hoc loquendi genus saepe modo longe duriore adhibuit. Exempla sunt in hac ipsa Epistola vs. 10, 229, 326, 416, 459. Multo autem minus perspicio illud absurdum, quod Bentleius in explicatione Dacieria reprehendit. Bentleius, ni fallor, hoc vult: Pisones Plautum Graecis opposuerant; nunc subito Horatio assentiuntur et Plautum contemnunt. Sed Pisones non dixere, quid ipsi, verum maiores de Plauto sentirent. Et hoc erat modestius. Atque ita Horatius eos liberius refutare poterat, et refutavit modeste simul et callide, provocans ad ipsorum sensum et iudicium. Fecerunt, inquit, o Pisones, hoc vestri proavi. Sed fecerunt inconsiderate. Nam aut Plautus ea laude indignus est, aut vos et ego non intelligimus quid sit urbanum et modulatum. Ianus Broukhusius etiam *proavi nostri* reiecit, quia Horatius proavos suos citare non potuit. Idem duo Ciceronis loca indicavit, unum ex Oratione II Agraria 6, alterum ex Orat. Philipp. IV, 5. In illo Cicero dixit: *Nolite dulitare plurimo sudore et sanguine maiorum vestrorum partam, nobisque traditam libertatem, nullo vestro labore, consule adiutore, defendere;* in altero loco: *quae* (virtus) *propria est Romani generis ac seminis. Hanc retinete, quaeso, Quirites, quam vobis, tamquam haereditatem, maiores vestri reliquerunt. — Hac virtute maiores vestri primum universam Italiam devicerunt, deinde Carthaginem exciderunt.* Apparet Ciceronem neutrubi sine metu iactantiae et invidiae appellare potuisse *nostros maiores*, qui esset ipse Arpinas, et, quod laudat in maioribus, hoc Romani, incolae urbis Romae, gesserint. Ac fortasse erunt, qui putent, Ciceronem etiam modestius fuisse scripturum *vobisque traditam libertatem.* Utraque Ciceronis loca non faciunt ad Horatianum, nisi quatenus Horatius ipse ad Pisones dicere non potuerit *nostri proavi.* Atque hoc ut Bentleio concedimus, sic eadem esse Pisonum verba tenemus. Interea pro *mirati* multo elegantius esset *laudarunt.* PISONES. *At nostri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales.* HORATIVS. *Nimium patienter*

Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.

utrumque, *Ne dicam stulte*, *laudarunt*.

Dicitur, *et plaustris vexisse poemata Thespis*, *Quae canerent*. Locus hic ab annis amplius mille turpissimo mendo inquinatus, si mea opera tandem emaculetur pristinumque et sanum colorem recipiat, ecquid erit a lectore pretii? Contemplemur, qualis hodie circumfertur. *Ignotum Tragicae genus invenisse Camenae Dicitur*, *et plaustris vexisse poemata Thespis*, *Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora*. Ita omnes ubique scripti editique exhibent: ita citat Diomedes Grammaticus p. 485. ita Donatus Prolegomenis ad Terentium, ubi tres vetustas ante annum MD editiones consulens nihil a recepta lectione diversum reperi. Quale tamen obsecro illud est, *vexisse plaustris poemata?* hoc est, ut enarrat Acron, *Tam multa scripsisse*, *quae posset plaustris advehere*. Mirum hoc profecto: poteratque Thespis, ut postea Cassius Hetruscus, capsis librisque propriis comburi ac funerari, quo heres ligna lucraretur. Verum esto, ut tot poemata scripserit: quid opus, ut ea plaustris circumveherentur? an ex libro tum recitabant actores fabularum? Ridiculum: ne postea quidem hoc factum est, cum poetae suas Tragoedias scripto vulgarent. Ac nihil quicquam vulgasse literis Thespin, quaeque illi tribuunt Plutarchus, Pollux, Clemens Alexandrinus, et Noster adeo ipse Epist. II, II, 163. ubi populum narrat Romanum post Punica demum bella coepisse quaerere, *Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent*, omnia ista spuria et ab Heraclide Pontico supposita esse, multis argumentis ostendi in Dissertatione ad Phalaridis Epistolas; quam qui potest aut vacat poterit consulere. Quid ergo? an plaustris vehebantur *poemata*, quae sub illa Tragoediae infantia vix domi quidem scribebantur? vel, ut scripta fuerint, domi certe relinquebantur, et de plaustris memoriter canebantur? Et sensisse quidam absurditatem hanc videntur melioris notae interpretes. *Poemata*, inquit, Luisinus, *pro scena nominavit*, *caussam*, *ut aiunt*, *pro caussato*. Dignus utique sua laude est, qui non tam obesae naris erat, ut receptae interpretationis foetores toleraret. Tu vero sic mecum repone meliora longe ac certiora: *Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis Qui canerent agerentque peruncti faecibus ora*. Ubi ordo est: *Vexisse plaustris* (eos) *qui canerent agerentque poemata*, *peruncti ora faecibus;* Histriones igitur in plaustris vehebat, non, ut stulte vulgo creditum, poemata. Ceterum

Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

elegantior paullo locutio, quamquam eruditis hodie notissima, qua pronomen accusativum non exprimitur, sed subauditur, fraudi hic fuit bonis Librariis: et sane vix aliter evenire potuit, quam ut *quae* interpolaverint: ut hoc aptum et necessarium, ita illud male Latinum et ἀσύνταχτον grammaticastris illis videbatur. *Vexisse qui canerent*, ut Terentius Heaut. III, 2. *Eho quaeso laudas*, *qui heros fallunt? In loco Ego vero laudo*. Ovid. Fast. III, 533. *Invenies illic*, *qui Nestoris ebibat annos*, *Quae sit per calices facta Sibylla suos*. Sed putidum est in re trita exempla corradere. BENTLEIVS.

Stulta Scholiastae interpretatio non esse potest caussa, cur in vulgata lectione aliquid mutetur, si meliorem interpretationem ea lectio admittit. Scholiastae eo magis de *multitudine* carminum accipiebant, quia noverant hoc *plaustri* vocabulum in multis proverbiis de copia rerum multarum usitari. Melior autem explicatio haec est: Thespis sua carmina in plaustris vexit, in plaustris novum inventum apportavit et circum pagos egit per chorum et actores, in quibus et ipse erat, non ut haberent personam, sed ora faecibus peruncta. Elegans tamen Bentleii *qui*, idque commendavit Nodellus in Notis Criticis cap. 4, cap. 94. confirmari putans Scholio ad Aristoph. Nubes 295. Sidonius Apollinaris in Carm. IX, 235, locum Horatii cogitabat, quum scriberet: *Orchestram quatit alter* (Seneca) *Euripidis*, *Pictum faecibus Aeschylon secutus*, *Aut plaustris solitum sonare Thespin; Qui post pulpita trita sub cothurno*, *Ducebant olidae marem capellae*. Quae verba Sidonii nisi corrupta sint, aut ille alia in Horatio vidit, quam nunc videmus, aut sua ipsius memoria deceptus erravit. Nam Horatius os Thespidis faece illitum probe a persona Aeschyli distinxit.

Chorusque Turpiter obticuit sublato iure nocendi. Turpiter obticuit, cum suo opprobrio, metu poenae, et quia non amplius nocere licebat. Poterant choros servasse et male dicendo abstinere. Minus recte alii *turpiter* ad *nocendi* referunt. Iam veteres bene acceperunt. Commentator: »*Turpiter*, quia prohibitus est lege.“

Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta;
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum-

Nec virtute foret clarisve potentius armis Quam lingua Latium. Nemo omnium interpretum hic offendisse videtur. Ego grave vitium inhaerere arbitror. Latinum est et recte dicitur *potens virtute et armis*, non recte *potens virtute vel armis. Virtus* et *arma* sic coniuncta idem significat. Notum est M. Curtii dictum apud Titum Livium VII, 6. *an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque esset.* Talia inveniuntur plurima apud historicos et oratores, de imperio Romano *virtute et armis parto,* loquentes; ut omittam *armis viris*, et Virgilianum *arma virumque.* Fortasse nonnulli ex vetustis interpretibus hoc animadverterunt. Invenio certe qui *virtute* aliter explicaverint. Acro: » *Virtute* ad ingenium pertinet, *armis* ad vires." Et sic Commentator Cruquianus. Sed neque *virtus* sic sola et separata unquam de *ingenio* ponitur. Neque res ipsa per se est vera. Nam Romani, cum Graecis comparati, *ingenio* non excelluerunt. Ipse Horatius dixit: *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.* Graeci adeo sunt potentes ingenio et lingua; ut fierent Romani potentes, exemplaria Graeca nocturna et diurna manu erant versanda. Si vetusti interpretes *ingenium* acceperint pro *indole*, *charactere*, forti illo ac militari, manet, quod posui: *virtus. et arma* separari non possunt. Est praeterea quod in *potentius* mihi displiceat. Graeci elegantia linguae et literarum multum potuerunt, fuere adeo potentes, ut capti ferum victorem ceperint et artes agresti Latio intulerint. Exiguam laudem, quam Romani in hoc genere sibi pepererant, hanc omnem acceptam referebant Graecis. Si paullo maiorem curam in expoliendis scriptis adhibuissent, fieri poterant clari non minus in arte poetica, quam clari erant virtute et armis; tam *potentes*, quam erant Graeci, quamvis, relicta maiorum via, se totos ad eorum exemplum conformarent, fieri non poterant. Nemo Romanus tam stultus erat ut hoc crederet. Horatius ipse semper aequalibus suis Graecorum exempla ostendit: quo propius ab eo exemplo abessent, hoc fierent praestantiores. Quid multa? Pro CLARISVE scribendum arbitror CLARIVSQVE, pro POTENTIVS autem POTENTIBVS. *Nec virtute foret clariusque potentibus armis Quam lingua Latium. Clarius* habet duas syllabas, ut Virgiliana *connubio, Paeoniis*, alia.

Quemque poetarum limae labor, et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Horatius ita contraxit alibi *pituita*, *vehemens*, et in huius Epistolae vs. 345 *Sosiis* fecit bisyllabum. Graeci enim hoc efferunt per ω. Usitata autem vulgo in tali disputatione sunt vocabula, *urbs*, *regio* clara *armis et doctrinis*, non *armis et doctrinis potens.* Ovidius Metam. V, 652 ipsas Athenas vocavit *claras.* Atque haec emendatio nostra tam simplex est, ut multi interpretes, sola ratione et sensu ducti, sic reddiderint. Batteuxius: *On peut dire même que le Latium n'auroit pas acquis moins de gloire par les ouvrages d'esprit que par sa valeur et par ses armes, s'il étoit aucun de nos Poëtes qui pût se donner la peine et le temps de limer. Clarisque* in quibusdam MSS. apud Feam cernitur. Invenit quoque Oudendorpius in uno D'Orvilliano.

Perfectum decies non castigavit ad unguem. Sic olim editi; et maior pars membranarum. At vetustissimus Blandinius Cruquii cum altero, probiores aliquot Statii, Mureti unus et Vaticanus apud Lambinum: *Praesectum decies non castigavit ad unguem.* Rectissime: et miror exstitisse editores, qui hoc reperto alterum amplecterentur. Unde enim Librariis tam non communis monetae vocabulum? Ipsa quoque constructio, si advertis animum, pene flagitat, ut hoc quodcumque est adiectivum ad illud *unguem* referatur. Idem autem *praesectum* unguem; ut ipse non scaber, non inaequalis, sed docta manu pene ad vivum resectus, aut fallentis iuncturae levorem, aut minimam, si qua exstet, salebram lapsu morave persentiet. Tracta autem a marmorariis similitudo est; ut interpretes notarunt, qui plura ad rem illustrandam loca produxere. Quibus unum addam Sidonii Apollinaris, Epistola IX, 7. *Tota denique verborum structura liquida prorsus et ductilis; veluti cum crystallinas crustas aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.* BENTLEIVS.

Sunt in MSS. et aliae varietates, *prefectum*, apud Feam, in quo veram esse scripturam arbitror, nempe *refectum.* Bentleio assentiri non possum. *Perfectum*, *prefectum*, *praesectum* consueti sunt scribentium errores. Horatius scripsisse videtur *resectum.* Hoc aliquis, metuens ne prima corriperetur, mutare potuit in *presectum.* Si similitudo tracta sit a marmorariis, unguis omnino requiritur ad explorandam commissi marmoris levitatem. Ungue ad vivum praesecto, asperitas non sentitur, atque adeo corrigi non potest. Apparet ex ipso, quem Bentleius attulit, Si-

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.

donii Apollinaris loco: *digitus perlabitur crustas cristallinas aut onychintinas ungue non impacto.* Unguis si sit nullus, impingi non potest. Persius I, 64. *carmina nulli Nunc demum numero fluere, ut per leve severos Effundat iunctura ungues.* Servius ad Virgilii Georg. II, 277. »*in unguem*, ad perfectionem: et est translatio a marmorariis, qui iuncturas unguibus probant." Tum nemo unquam dicit *bis*, *ter*, *quinquies*, *decies ad unguem castigavit;* neque dicere potuit. Cur? quia *ad unguem castigare* significat *postremam manum operi admovere*, ultimum omnia, omnes operis partes accurate inspicere et explorare, si quid emendandum restat. Hoc semel modo fit, non decies. Ipsum opus decies, centies, si velis, castigatur, ad unguem una et novissima vice. Formulam dicendi a Graecis desumsere Romani. Dionysius Halicarn. Op. Rhetor. pag. 171. *τὸν Λυσιακὸν χαρακτῆρα ἐκμέμακται εἰς ὄνυχα.* Plutarchus Praecept. Sanit. p. 128. E. *ἡ δι' ὄνυχος λεγομένη δίαιτα.* Idem de Sent. perf. ad virt. p. 86. A. *Πολύκλειτος ὁ πλάστης εἶπε, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γένηται.* Eiusdem Polycleti dictum alibi sic refertur, *οἷς ἂν εἰς ὄνυχα ὁ πηλὸς ἀφίκηται.* Vides illam esse summam operis perfectionem, quae semel fit. Hinc Graeci verbum finxerunt *ὀνυχίζειν* et *ἐξονυχίζειν*, quae Grammatici interpretantur *ἀκριβολογεῖσθαι* et *ἐξετάζειν ταῖς ὄνυξι.* Plutarchus etiam alibi appellavit *δι' ὄνυχος ἀκριβοῦν.* Atque haec et alia exempla reperiuntur apud Winckelm. in Historia artis, et Wyttenb. ad Plutarchi l. l. de Praeceptis Sanitatis. Wyttenbachius recte, puto, duplicem statuit huius dicendi formulae originem: alteram, quando plastae in fingendo luto partes signi subtiliores ungue formant, alteram, quando levitas ac politura signi exploratur ungue, qui, si quid asperi offenderit, id artifices corrigunt. Huius autem consuetudinis Winckelmannum non iustam rationem habuisse; neque etiam eiusmodi afferre testimonia, quibus efficiatur, quod vult, illam priorem explorationem tantummodo *exemplis*, non item *operibus*, ad exempla factis, adhiberi solitum fuisse. Horatii certe locus, iudice etiam Wyttenbachio, ad imaginem et *opus*, non ad *exemplum* pertinet. His de caussis non assentior Bentleio, sed scribendum puto: *carmen reprehendite, quod non Multa dies et multa litura coercuit, atque Resectum decies non castigavit ad unguem.* Multa dies et multa litura carmen tuum coercebit, decies resecabit, et ad

Nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata; verum

unguem castigabit. Rami in arboribus nimis laeti ac luxuriantes coercentur et resecantur. Notae sunt hinc petitae Metaphorae. Cicero de Senect. 15. *quam vitem serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur.* Quintil. Instit. Orat. IX, 4. *quid non cultu nitescit? Cur vites coercemus manu?* Plinius Epist. II, 5. *adhuc pars eius perpolitur. Liber crevit; dum ornare patriam et amplificare gaudemus. Tu tamen haec ipsa, quantum ratio exegerit, reseca.* Wyttenbachius annotavit: »recte *perfectum*, id est, ad finem perductum, tamen adhuc expoliatur ungue. Ultima politura fiebat non instrumento, sed ungue. Diximus ad Plutarchi Moralia pag. 86, A."

Nanciscetur enim pretium nomenque poetae. Horatii Epistola ad Pisones est Satyra. Ridet malos poetas. Deterret Pisones exemplo eorum. Loquitur adeo de iis, qui iam sunt poetae, hoc est, versus fecerunt. Et quomodo aliter de praestantia iudicare poterat? In hoc ipso praecepto dicit: reprehendite *carmen:* nostri *poetae* fugerunt laborem: Democritus excludit sanos *poetas.* Iam non recte sequitur »qui vivit tamquam non sit sanae mentis, nanciscitur *nomen poetae.*" Erant et alii homines inepti, v. c. qui philosophorum nomen et laudem captabant singulari vestitu cademque negligentia. Legendum censeo: *Nanciscetur enim pretium nomenque poeta.* Si illi, qui versus faciunt, neque barbam neque ungues ponunt, et hominum consortia vitant, in pretio atque honore habentur. Ita vs. 372. *nec scit quantum Cascellius Aulus, Sed tamen in pretio est.* Cicero Brut. 69. *memoria quidem dignos perpaucos: rerum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse.* Constructio verborum etiam hanc emendationem suadet. *Nanciscetur nomen poetae, si commiserit* magis postulat *qui commiserit.* Suadet denique *bona pars.* In *bona pars* supplendum est substantivum ex antecedentibus. Democritus excludit poesas sanos. Igitur bona pars poetarum, (nam non omnes ineptiunt) videri volunt insani. Sic nanciscuntur laudem et gloriam, non nanciscuntur nomen poetae. Poetae iam dudum fuerunt.

O ego laevus, Qui purgor bilem. Malim *qui purger.* Recte autem *purgor* vel *purger*, vi media *καθαίρομαι.* In aliis MSS. *purgo.* In edi-

Non tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo:
Unde parentur opes; quid alat formetque poetam;

tione Veneta a. 1477, *qui purgo bilem*. In Cod. Ros. *qui bilem purgo*.

Munus et officium, nil scribens ipse, docebo. Docebo officium, nil ipse scribens, est Latinitas Horatio indigna, nisi voluerit: *nil scribant, ut ipse nil scribo*. Neque vero orationem ita connectere licet, ut sit: *docebo munus et officium, unde opes parentur*. Latinum erat: ipse nil scribens scribentes docebo, scribendi officium docebo, alios docebo, ut Cicero de Oratore II, 23. *Me quidem recte mones, idque mihi gratum est: sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. Tum ille, Quasi vero, inquit non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint.* Horatius, ut iam alii viderunt, respexit dictum Isocratis, quod Plutarchus in Vita illius retulit. *Πρὸς τὸν ἐρόμενον, διότι οὐκ ὢν αὐτὸς ἱκανὸς, ἄλλους ποιεῖ, εἶπεν, ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσιν.* Locum transpositione ita restituisse mihi videor: *Munus et officium, nil scribens ipse, docebo Scribendi recte; quid alat formetque poetam, Quid deceat, quid non, quo virtus quo ferat error, Unde parentur opes: Sapere est et principium et fons.*

Quid alat formetque poetam. Est in omnibus rebus ordo, quem Natura servat. Eum ordinem boni scriptores in verbis sequuntur. *Formari* prius est quam *ali*. Homo non formatus non exstat, ergo ali non potest. Quintilianus Instit. Orat. IV, 2, monet ne istum ordinem perturbemus: »Quaedam vero etiam turpiter convertuntur: ut si *peperisse* narres, *deinde concepisse; apertum testamentum, deinde signatum:* in quibus si id, quod posterius est, dixeris de priore, facere optimum est." Quintilianus contra suum ipse praeceptum peccasse videtur II, 16. *Nam et moliri cubilia et nidos texere, et educare foetus et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, nonnullis fortasse rationis est.* Quod quum Spaldingius exemplo tuetur Homeri *ἵνα τ' ἔτραφεν ἠδ' ἐγένοντο*, non cogitabat aliquem puerum potuisse educari ubi non natus esset. Sed Quintilianus loquitur de quadrupedibus et avibus. Quadrupedes *moliuntur cubilia* et foetus educant, aves *texunt nidos* et excludunt. Si igitur *formet* scriptum sit ab Horatio, crediderim eum potius scripturum fuisse, *quid formet alatque*. Sed quum poeta, quamquam arte non possit carere, magis tamen nasci debeat quam *formari*, illud verbum huic quidem loco minus accommodatum videtur. Scribendum puto *quid alat firmetque poetam*. Horatius libros

Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae;
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes;

rhetoricos Ciceronis diligenter legit. Simillimus hic est Ciceronis locus de Oratore II, 28. *Si, cum ego hunc oratorem crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso ad vestiendum et ornandum.* Idem II, 87. *Sed haec ars tota dicendi habet hanc vim, non ut totum aliquid pariat ac procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet.* Quintilianus Instit. Orat. Prooem. I. *alere facundiam, vires augere eloquentiae.* Auctor ad Herennium IV, 43. *aluit haec me, produxit ad hanc aetatem, muniit bonis legibus.*

Verbaque provisam rem non invita sequentur. Rem tibi poterunt ostendere, *rem* provisam verba sequentur, tam odiosa est eiusdem substantivi sine ulla vi repetitio, ut mirer summopere, inventum esse ex tanto interpretum numero neminem, qui reprehenderit. Ea nimirum est vis consuetudinis. Caecutimus vel ad turpissima vitia. Quanti erat laboris hoc vitium leni transpositione tollere! Legamus: *ille profecto Reddere personae scit convenientia cuique, Verbaque provisam rem non invita sequentur.*

Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis. Hoc praeceptum non est verum. Qui didicit quid ipse patriae debeat, non ideo novit quid alii debeant. Si non didicerit patriam ab aliis alia postulare officia, et quid in suo quisque vitae genere et conditione debeat, ille alios ex se metietur, et nunquam convenientia cuique personae reddet. Licuitne Tarquinio Superbo regnum armis recuperare? Brutus cogebatur filios interficere? Coriolanus, Manlius Capitolinus, Manlius Imperiosus, Decii, ne alios memorem, quo modo sese erga patriam gessere? Hocne, quod fecerunt, patria postulabat? Aliane tempora, aliae res, alia postulant officia? Haec scire debet poeta de aliis, ut scire debet, quomodo pater sit amandus, de qua re quaestio oriri potest, ut in Manlio et Pomponio tribuno plebis scire debet, quod sit officium senatoris, iudicis, quod imperatoris. Ego Horatium scripsisse coniicio: *Qui didicit patriae quid debeat et quis amicis. Quis* separatum est a *quid*. Vulgare erat *quid quis debeat*. Ita poetae saepe facere solent. Horat. Serm. I, 4. *ne patriam rem Perdere quis velit.* II, 8. *Quam si cum lumbis quis edit:* de quo pauca annotavit Bentleius ad huius Epistolae vs. 461. Pro *quid*, ut in aliis, ita in MS. Brenckmanni erat

Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.

quod. Unde etiam legi posset: *Qui didicit quod quis patriae, quod debet amicis.* Sed alterum melius.

In bellum missi ducis. Magis, credo, Latinum est, dux *ad bellum mittitur*, qui praeest imperio, ut bellum perpetret. Livius XLII, 49. *Consulem ad bellum mittant.* Quintil. Instit. Orat. XI, 1. *illum a senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coemendum.* Aurelius Victor Vir. Illustr. XXXIV, 5. *ne Fabius solus ad bellum mitteretur.* Ideo Ovidius Fast. II, 235 pulchre scripsit: *Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.* nam trecenti illi, singuli merebantur *duces* fieri. Adde alia exempla apud Cortium ad Lucanum VIII, 301 et 390, qui significationem non distinxit. *In bellum* et *bella* mittuntur etiam illi, qui mittuntur ut pugnent, non semper duces: et *bellum* saepe significat *proelium.*

Et veras hinc ducere voces. Et veteres editiones, et omnes Statii, Cruquii, Pulmanni, Bersmanni, nostrique codices: *Respicere exemplar vitae morumque iubebo Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.* Acron MS. et editiones Venetae. *Vivas, veras.* Postea vero in contextum recepta est vox *veras;* et inverso ordine Acron Fabricianus, *veras, vivas. Veras* quidem *voces* saepius apud scriptores legas: Lucretius III, 57. *Quo magis in dubiis hominem spectare periclis Convenit, adversisque in rebus noscere quis sit. Nam verae voces tum demum pectore ab imo Eliciuntur; et eripitur persona, manet res.* Lucanus I, 500. *Si licet, et ius est veras expromere voces.* Ovidius Rem. Amor. 125. *Aggrediar melius, tunc cum sua vulnera tangi Iam sinet, et veris vocibus aptus erit.* Ammianus Marcellinus XXV, 7. *Exploratorum profugarumque veris vocibus docebatur.* Manilius lib. III. *Huc ades, o quicunque meis advertere coeptis Aurem oculosque potes, veras et percipe voces.* Virgil. Aen. I, 413. *Quid natum toties crudelis tu quoque falsis Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram Non datur, et veras audire et reddere voces?* In his locis palam est, *veras* accipi *non falsas, non fictas, non compositas, non fucatas, non mendaces.* Atqui hoc minime hic voluit Horatius. Qui enim vitae et morum exemplar respicit, ut cuique personae convenientia sciat reddere, saepe in usu veniet, ut non *veras voces*, sed falsas, fraudulentas promat, ubi aut Sycophantae Phormionis, aut veteratoris Syri vel Davi personam in-

Interdum speciosa locis morataque recte

ducit. Quare melius est, ut membranarum lectionem servemus, *vivas voces;* quales scilicet ipse Syrus aut Phormio, vel cuiuscumque conditionis alius, vivus loqueretur. Noster Serm. I, IV, 53. *numquid Pomponius istis Audiret leviora, pater si viveret?* Ergo ardens stomachansque in Comoedia pater similibus verbis in scena irascetur, ac cum in vita verus, non personatus pater, non poctae, sed sua et *viva voce* filium obiurgat. Quintilianus II, 2. *Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius; praecipueque eius praeceptoris, quem discipuli et amant et verentur.* Seneca Controv. I, de Cicerone loquens: *Et quod vulgo de alio dici solet, sed de illo proprie debet, potui vivam vocem audire.* Sic Luciano ἔμψυχος λόγος *vivus animatusque sermo.* Cum autem *exemplar* et *imitatorem* et *ducere* dicit Noster, a pictura similitudinem ducit. Virgil. VI, 849. *Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.* Statius Silv. I, 5. *Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla Viva modis.* Scio equidem in pictura *vivum* perinde fere esse ac *verum.* Plinius XXXV, 33. *Gladiatorum omnium veris imaginibus redditis.* Et 35. *Plastem Posim, a quo facta poma et uvas, ut non posses discernere a veris.* Et c. 8. *Tabula pastoris senis cum baculo: de qua Teutonorum legatus respondit, interrogatus quanti eam aestimaret, sibi donari nolle talem vivum verumque.* Nolim tamen ad hoc exemplum *veras voces* hic adoptare; cum quia in ambiguum, ut vidimus, incidit oratio, tum quia scripti quos sciverim omnes reclamant. BENTLEIVS.

In plerisque MSS. habetur *vivas*, etiam in Brenckmanniano. Neque *veras* sententiae convenit. Poeta, qui docte imitari vult vitam et mores in Comoedia, respicere debet exemplar, vitam et mores alicuius, quem vitiis ante omnes notabilem et ridiculum putat. Socrates fuit exemplar Aristophani. Tale exemplar sine dubio ante oculos habuit Graecus poeta, ex quo Plautus Aululariam composuit. Molierii Tartufum fictum esse nomen, veram autem personam constat; unde iocus ex ambiguo, de aedile, qui Tartufi erat ipse exemplar, eamque fabulam agi non patiebatur: » spectatores Tartufum hodie non habebunt. Aedilis agi non vult." Eleganter Boilavius Art. III, 353. *Chacun, peint avec art dans ce nouveau miroir, S'y vit avec plaisir, ou crût ne s'y point voir. L'avare, des premiers, rit du tableau fidèle D'un avare souvent, tracé sur son modèle. Et mille fois un fat, finement exprimé, Méconnut le portrait sur lui même formé.* Iam Molierius, exemplar suum secutus, Tartufum sic fecit loquentem, ut exemplar loqui solebat: tribuit Tartufo *veram orationem.* Statim obscurum est et ambiguum: tribuit *veras voces*, hac sen-

Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,

tentia, non Latinum est. Neque *vivas voces* probandum esse arbitror. Nam et *viva vox* opponitur voci *scribentis*, et exemplaria ista, quorum vitam et mores poetae expresserunt, tunc, quum fabula agatur, pleraque vivebant. *Exemplar* est id, quod statuarii vel pictores imitando reddere student, est homo ipse. Hominis *vultum*, vel, poetice, *vultus* optime referunt, qui ita referunt, ut *statua* vel *pictura vivere* videatur, ut *vultus* sint *vivi*. Et sic scribendum esse iudico: *Respicere exemplar vitae morumque iubebo Doctum imitatorem, et vivos hinc ducere voltus*. VOCES et VOLTVS sunt similes. Commendat hanc coniecturam inprimis imitatio Virgiliana Aeneid. VI, 848. *Excudent alii spirantia mollius aera, Credo equidem, et vivos ducent de marmore vultus.* Ingens est, apud poetas inprimis, exemplorum copia, ubi *picturae*, *statuae*, et omnino artis opera dicuntur ἔμψυχα, ἔμπνοα, *viva*, *viventia*, *animata*, *spirantia*. Multa indicavi ad Horatii Carm. I, 37. Adde Burm. ad Propert. III, VII, 9. *Gloria Lysippo est animosa effingere signa.* Etiam *ducere* in hac re proprium est verbum. Quintil. Instit. Orat. II, 17. *E luto vasa ducendi artem putet.* Vide ibi interpretes. Si *voces* ab Horatio esset scriptum, aliud potius verbum addidisset, nempe *promere*, vel simile. Praeterea *exemplar* magis postulat *vultum*, quam *vocem*. Potes in statua, quam de exemplari duc

cis, exprimere *vera* oris lineamenta, verum habitum, verum incessum, veritatem, *voces* exprimere non potes. *Veritas* ita quoque legitur apud Ciceron. de Invent. II, 1. *Praebete mihi* (dicebat Zeuxis) *ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur.* Ad hanc rationem poeta reddit *veram vocem exemplaris*, si histrio omnia vocabula sic pronuntiat et articulat, ut pronuntiavit et articulavit exemplar. Demosthenes primam literam suae artis pronuntiare recte non poterat. Poeta igitur veram Demostheni vocem tribuit, si dicentem facit non ῥητορικὴν sed λητολικὴν. Atque hoc fecit Aristophanes in Alcibiade. Et hic erat blaesus, τραυλίζων. Hinc ille versus in Comoedia: ὁλᾷς θέωλον; τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει, pro ὁρᾷς θέωρον; τὴν κεφαλὴν κόρακος ἔχει. Atque haec *vocis* imitatio gratiam et leporem habet, quamdiu exemplar vivit, vel spectatores memoriam ridiculae vocis conservant: mortuo exemplari, et memoria vocis amissa, perinde est, reddatne poeta *veram vocem*, nec ne. Et in hoc praecepto gravissima pars imitationis non reponitur, sed in *moribus*.

Interdum speciosa locis morataque recte Fabula. Fuere qui coniicerent *speciosa iocis*. Infelix coniectura. *Loci*, sunt loci communes, quam significationem interpretes et hic, et

Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere: dicat
Filius Albini: si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? Poteras dixisse, triens. Eu!

ad Ciceronem de Oratore aliaque scripta Rhetorica, et ad Quintilianum satis illustravere. Horatius autem arcte iunxit » fabula *speciosa locis et recte morata.*" Nam *speciosa locis* non sufficit. Quintil. Instit. Orat. VII, 1. *Plerique, eloquentiae famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo, vel nihil ad probationem conferentibus.*

Discunt in partes centum diducere. In quibusdam MSS. legitur *deducere*. Dictu non opus est, quam perverse. Et habet ista forma aliquid coloris Virgiliani, ut Aeneid. V, 720. *Tum vero curas animum versabat in omnis.* Locus ex antiquo carmine in papyris Herculanensibus invento, cuius partem edidit Carolus Fea in Praefat. Horat. pag. XXII, videretur ad Horatianum quam proxime accedere, nisi esset corruptus. Fea edidit: PARTES NVMVM DIDVCERE IN OMNIS. Scribendum scilicet ita est: PARTES ANIMVM DIDVCERE IN OMNIS.

Dicat Filius Albini, si de quincunce remota est Uncia. Locus non admodum difficilis, pluribus tamen mendis obsitus. *Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere. dicat Filius Albini, si de quincunce remota est Uncia, quid superat? poteras dixisse Triens. Eu, Rem poteris servare tuam. redit uncia: quid fit?* Morata est oratio, et magistrum inducit sic pueros interrogantem: ubi primum *dicas* repono pro *dicat:* illud enim sequentia postulant. *Dicas filius Albini*, hoc est, *dicas tu, qui Albini filius es.* Mutavere librarii, quia *filius*, non *fili* hic habebatur. Atque et supra sic loquitur, vs. 292. *vos o Pompilius sanguis, carmen reprehendite:* et sic alii frequenter. Deinde pro *superat*, unus et alter ex nostris *superest*, Zulichemianus *superet*. Probissime. *Dicas*, quid de quincunce *superet* sive supersit, si uncia remota est. Sic Serm. I, 1, vs. 49. *vel dic, quid referat intra Naturae fines viventi, iugera centum an Mille aret.* Virgil. Eclog. III. *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores, et Phyllida solus habeto.* Porro pro *poteras* quatuor

Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis. At haec animos aerugo et cura peculi,

Bersmanni et quinque ex nostris *poterat*. Nimirum Horatius iam loquitur, non magister. *Poterat*, inquit, *dixisse Triens?* continuo infit Magister, *Euge, rem tuam servare poteris*. Unde iam patet, et *dicas* supra corrigendum fuisse. Si enim *dicat* admiseris; consequens erit, ut persona itidem tertia subiungas, *Rem poterit servare suam*. Ceterum qui *poteras dixisse* legunt et magistri esse verba volunt, discipulum corripientis quod haesitanter et tardiuscule responderet; ii quid urbanum sit in narratione, quid putidum, haud satis dignoscere videntur. BENTLEIVS.

In MS. Vlaming. a manu prima *rem poterit servare suam*. Idque mihi placet. Magis etiam morata est oratio, si magister discipulum ita laudans digito monstratum aliis commendat. Superiora autem *poteras dixisse*, eidem magistro tribuam. Habet hic dialogismus iam satis obscuritatis, quam non est cur augeamus, addita Horatii persona.

Redit uncia, Quid fit? Considera locum. Si de quinque unciis una uncia deducta est, fiunt quatuor unciae, sive triens, tertia pars assis. Si uncia, modo deducta, redit, iterum adiicitur, fiunt pro quatuor unciis, ni fallor, rursus quinque. Summa fit, quod fuit, quincunx. Omnino legendum arbitror: *Additur uncia. Quid fit?* Sic optime respondet filius Albini: fiunt sex unciae, sive semissis, pars dimidiata assis. *Addere* in rationibus est consuetum vocabulum, et contrarium vocabulo *removendi*, sive, quod usitatius, *deducendi*, de quo Oudendorp. ad Sueton. Caes. 42. Cicero de Offic. I, 18. *Consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas.*

At haec animos aerugo et cura peculi. Ad haec, editiones; una tamen et altera *at haec*. Lege cum tribus vetustissimis Blandiniis, quod et Statius ex coniectura protulerat: *An, haec animos aerugo et cura peculi Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?* Ubi ordo est, *an speramus carmina* cet. *cum haec aerugo semel animos imbuerit?* Ceterum *speramus* habet eximius Codex Reginensis cum aliis quinque. Graevianus vero et Leidensis et Vossianus cum aliis itidem quinque *speremus*. Sic et in tribus suis Pulmannus reperit; ceteri Interpretes tacent: Utrumque probum est, ut nescias utrum utri praeferendum sit: nisi quod, ubi aequae utrimque sunt lances, locum servare ea lectio debet, quae prior occupavit. Si *an speramus* adsciscis, spem habitam sed inanem reprehendis; si *an speremus*

Quum semel imbuerit; speramus carmina fingi
Posse, linenda cedro et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poetae;
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

spem omnino omnem vetas et abscindis. BENTLEIVS.

Ego semper Horatium scripsisse putavi: *Et, haec animos aerugo et cura peculi Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?* Illud *et — speramus* omnem plane spem resecat; quis tam ineptus est, ut speret; i nunc, et spera. Habet particula *et* ita posita veterem elegantiam. Virgil. Aeneid. I, 48. *Et quisquam numen Iunonis adoret Praeterea?* Idem VI, 807. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Plura Heinsius ad Ovidii Amor. III, VIII, 1. *Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?* et Burmannus ad Propertii II, XV, 1. Euripides in Medea v. 1327 dixerat: *Καὶ ταῦτα δράσασ', ἥλιον τε προσβλέπεις, Καὶ γαῖαν, ἔργον τλᾶσα δυσσεβέστατον.* quae cum interrogatione legenda sunt. Postea comperi Cuninghamum quoque maluisse: *Et haec animos* cet.

Quidquid praecipies, esto brevis. Wyttenbachius paronomasiam quamdam in *praecipies* et *percipiant* animadvertit, et confirmat loco Nepotis in Attico 17. *percepta habuit praecepta.* et Ciceronis de Officiis I, 18. *artis praecepta perceperint.*

Omne supervacuum pleno de pectore manat. Versus suspectus. Solebant olim sententiosa huiusmodi in margine allinere, quae postea in contextum irrepserunt: *Omne supervacuum pleno de pectore manat.* Ubi *corpore* habet Codex Digbeanus Oxonii. Sammonicus c. XXXV, de Haemorrhagia: *Si modicus pleno manet de corpore sanguis, Subvenit: at nimius cum vita funditur ipsa.* Certe et nullius est veneris hic versiculus, et ambiguitate laborat. Si enim supervacua tantum effluunt, quid pericli erit, si in praecipiendo longior prolixiorque fueris? Ergo nocet magis sententiae, quam auxiliatur. Deinde illud vide Epist. I, XIX, 44. *fidis enim manare poetica mella Te solum, tibi pulcher.* et videbis te contrariis verbis recte dicere posse: *Omne eximium et egregium de pleno pectore manat.* Nam et poetis ipsis, Nostro puta et Virgilio, ubi e divite vena fundunt opes, luculenta illa carmina *de pleno* et fecundo pectore *manare* dicentur.

Ficta voluptatis caussa, sint proxima veris:
Nec, quodcumque velit, poscat sibi fabula credi;

Vereor igitur, ne monacho potius quam Flacco versiculus debeatur. Eiusdem quoque commatis videtur ille, Serm. II, II, 38. de quo dicere, ubi locus erat, nescio quo casu oblitus sum: *Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.* Quippe ibi et orationis cursum male intercipit: et in ambigui vitium incidit. Iam olim enim a Scholiastis dubitatum est, utrum *raro ieiunus* an *raro temnit* sit accipiendum. Nimirum aut fallor, aut hae sententiae ex libris trivialibus, qui tum pueris praelegebantur, nunc perierunt, desumtae sunt: et cum in exemplaris ora velut loco appositae et consimiles a quopiam notarentur, posterioribus Librariis fucum fecerunt. Eadem mihi suspicio est de Iuvenalis loco XII, 50. ubi narrat, ut Catullus suus in summo naufragii discrimine, quo navem levaret, pretiosissimam supellectilem in mare proiecerit: *Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet Argento praeferre caput, relusque salutem? (Non propter vitam faciunt patrimonia quidam, Sed vitio coeci propter patrimonia vivunt.) Iactatur rerum utilium pars maxima: sed nec Damna levant.* Vides hic in mediam narrationem sententiolas has intrudi, putide prorsus et perquam inscite. Quorsum enim hic *Quidam?* cum iam dixerat, ne unum quidem ulla mundi parte vitam patrimonio praeferre. Quale autem illud *facere patrimonia?* quae scabies locutionis? Quam alienum et pannosum illud *vitio coeci?* quod eo tantum assuitur, ut versiculi cento sarciatur. Ergo obelo configendos hos versus censeo; etiamsi vetus ibi Scholiastes, ut hic quoque apud Nostrum, pro genuinis agnoverit. Denique, ut magis scias sententias illas passim mala manu inferciri; narro iam tibi disticha epimythia, quae singulis Avieni fabulis subiunguntur, omnia supposititia καὶ κακοῦ κόμματος, et in Galeano, quo usus sum, Codice nulla comparere. BENTLEIUS.

Non credo aliquem, sic a Bentleio admonitum, talem versum pro genuino esse habiturum. Equidem plane ignoro, quid ad eum defendendum cum aliqua veri specie afferri possit. *Pectoris* et *corporis* creberrima est in Codicibus permutatio. Virgilius Aeneid. III, 175. *Tum gelidus toto manabat corpore sudor.* ubi in duobus Burmanni Codd. erat *pectore.*

Nec, quodcumque velit, poscat sibi fabula credi. Nec editiones iam ab annis amplius centum: at principes illae cum pluribus codicibus, vetustioribus certe omnibus, Graeviano, Leidensi, Reginensi, (Vossianus hic deficit) *Ficta voluptatis caussa sint proxima veris: Ne quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.* Ita loqui amat Noster; vide supra vs. 185. BENTLEIVS.

Neu pransae lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
Verum, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,

In MS. Brenckmanniano etiam legitur, *ne*, sed *velit.*

Neu pransae lamiae vivum puerum extrahat alvo. Cuninghamus coniiciebat *exciat alvo.* In MS. Brenckmanni legitur *exiat*, quod pro *exciat* scriptum videtur. Nam si esset pro *exeat*, legi deberet *vivus puer exeat alvo.* Sed nulla est caussa, cur vulgatum mutemus.

Hic meret aera liber Sosiis. Quatuor MSS. Cruquii *Sosis.* Sic certe pronuntiandum est. Nam prima in *Sosiis* producitur. Codex Brenckmanni: *Hic meret aera liber solus*, et a manu secunda *soliis.*

Et longum noto scriptori prorogat aevum. *Notus*, ne quis tenuius putet, significat *celebratum, digitis monstratum, qui est in omnium ore.* Vide Burmann. ad Anthol. T. II, pag. 198, et Oudendorp. ad Sueton. de Illustr. Grammat. 2. Horat. Carm. II, 2. *Vivet extento Proculeius aevo Notus in fratres animi paterni.* In duobus MSS. D'Orvillianis erat: *Et longum nota scriptori prorogat aevum.*

Poscentique gravem persaepe remittit acutum. Frustra in quibusdam *remutit*, et *remugit. Remittit* est, quod in primo Odario Anacreontis legitur ἀντιφώνει. Ἥμεισι νεῦρα πρώην, Καὶ τὴν λύρην ἅπασαν. Κἀγὼ μὲν ᾔδον ἄθλους Ἡρακλέους· λύρη δὲ Ἔρωτας ἀντεφώνει. Comparandus hic praeterea est locus Ciceronis de Oratore III, 57. *Totumque corpus hominis, ut eius omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsa. Nam*

Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut, scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; et citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Chocrilus ille,

voces, *ut chordae sunt intentae*, *quae ad quemque tactum respondeant*, *acuta*, *gravis*, *cita*, *tarda*, *magna*, *parva*.

Aut humana parum cavit natura. Quid ergo? Codices et nostri omnes et aliorum, ut etiam editiones principes Loscheriana et Venetae, verbum substantivum hic adsciscunt: *Aut humana parum cavit natura. quid ergo est?* Neque video cur a recentioribus eiici meruerit. Livius XLIV, 22. *Quid ergo est? primum a prudentibus monendi imperatores sunt.* Cicero pro Quintio: *Quid ergo est? primum magnitudo periculi* cet. Iterum: *Quid ergo est? cum ei natura nihil melius* cet. Et mox: *Quid ergo est? vereor mehercule* cet. Et rursus: *Quid ergo est? Homines erant ab hoc omnes alienissimi.* Ita hic et alii passim. BENTLEIVS.

In MS. Brenckmanni *est* a secunda manu additum. Et sic Graeci loquuntur. Vide interpretes ad Acta Apostolorum XXI, 22. τί οὖν ἐστι; πάντως δεῖ πλῆθος συνελθεῖν. Pro *parum*, in MS. Petri Vlamingii *patrum*, incogitantia librarii scriptoris.

Et citharoedus Ridetur. Non *et*, sed *ut* habent Lambini quidam Codices, et ex nostris Colbertinus, Battelianus, et pro varia lectione Vigorniensis: *Ut scriptor si peccat idem librarius usque*, *Quamvis est monitus*, *venia caret*; *ut citharoedus Ridetur*, *chorda qui semper oberrat eadem.* Miror neminem ex editoribus hanc lectionem praeripuisse. *Ut* scriptor librarius, *Ut* citharoedus. Quis non sentiat suaviorem et vividiorem fieri orationem, si *ut* repetatur? Sic alibi Epist. I, XIII, 12. *ne forte sub ala Fasciculum portes librorum*, *ut rusticus agnum*, *Ut vinosa glomos furtivae Pyrrhia lanae*, *Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.* Et Epist. I, 1, 20. *Ut nox longa quibus mentitur amica*, *diesque Lenta videntur opus debentibus*; *ut piger annus Pupillis*, *quos dura premit custodia matrum.* Pone in his *et* pro *ut*, et magna ex parte vis et venus orationis evanescit. BENTLEIVS.

Sic mihi, *qui multum cessat*, *fit Chocrilus ille.* Melius distinguas: *Sic mihi*, *qui multum cessat*, *fit Choerilus*, *ille*, *Quem bis terve bonum* cet. Sive interpretere Choerilus, ille, ineptus scilicet, probe distinguendus ab aliis Choerilis; sive, quod melius, ille scilicet Choerilus, cuius tres tantum versus boni sunt. Horatius

Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:

eiusdem meminit Epist. II, 1, 232. *Gratus Alexandro Magno regi fuit ille Choerilus*, *incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos*, *regale nomisma*, *Philippos.* Ubi malim *gratus Alexandro Magno regi fuit illi Choerilus.*

Quem bis terve bonum cum risu miror. Codex Regius, et solus, quod sciam, rectissime habet: *Quem bis terve bonum cum risu miror*, *et idem Indignor*, *quandoque bonus dormitat Homerus.*, Nam sine dubio hoc vult, Choerilum *raro* evigilare et bonum esse, contra raro dormitare Homerum: ergo ridere se, quandoque ille bonus sit; indignari vero, quandocumque hic dormitat. Atqui et ratio et usus te docebit *Bis terque*, ut *Terque quaterque* semper habere significationem crebritatis: raritatis autem *Bis terve.* Quamobrem omnino hic legendum, *Quem bis terve bonum.* Vide quae diximus ad Epod. V, 33. atque his adde locum Senecae Epist. LXXXVI. *Parum est sumere unguentum*, *ni bis dic terque renovetur*, *ne evanescat in corpore:* ubi indicat, *saepe*, *crebro*, frequenter renovari. BENTLEIVS.

Et idem Indignor, *quandoque bonus dormitat Homerus.* Consuetudo saepe ex veterum poetarum dictis, perverse acceptis, proverbia fecit. Nihil notius est Terentiano: *Homo sum*, *humani nihil a me alienum puto.* Quid statuendum sit de Virgilii sententia: *Quisque suos patimur manes*, exposui. Ita ex hac sola Horatii Epistola ad Pisones tres quatuor perversas procuderunt nonnulli, eosque alii oscitanter secuti sunt. Paroemiae habentur v. c. *chorda semper oberrat eadem: verbum verbo reddit fidus interpres:* et inprimis hic locus, *quandoque bonus dormitat Homerus*; quo loco nonnulli, tot versus ex Horatii Carminibus quasi spurios a me sublatos indignantes, contra me usi sunt, dicentes *quandoque bonus dormitat Horatius.* Hoc quidem proverbium iis dudum erat ereptum ab interpretibus, qui docuerant *quandoque* non significare *interdum*, sed *quando*, *quandocumque*; idque iam docuerat praestantissimus P. Victorius ad Columellam de Re Rustica II, 4. et Gronovius ad Livium I, 24. Nunc fortasse iidem indignabuntur, si ego hoc dictum, per tot saecula celebratum, lippisque et tonsoribus iam cognitum, mutaverim. Sed intuere totum locum. *Sic mihi qui multum cessat fit Choerilus*, *ille Quem bis terve bonum cum risu miror*, *et idem Indignor*, *quandoque bonus dormitat Homerus.* Hinc nulla sententia effici potest, nisi haec: Choerilus interdum, raro est bonus poeta, Homerus est bonus poeta; vel: cum risu miror Choerilum, si bis terve bonum faciat versum, indignor, si bonus Homerus, bonus iste vir, vetus ille irae Achilleae canta-

Verum operi longo fas est obrepere somnum.

tor, qui neque ipse in magno pretio haberi meretur, aliquando dormitet. Neutra sententia mentem Horatii exprimit. Homerus plus est quam bonus poeta, est omnium poetarum Deus ac pater, est naturae se superantis opus. Tota antiquitas, ipse Horatius, in eo laudando certarunt. Ironia autem, qua aliquem cum miseratione *bonum virum* appellamus, a loco plane abhorret. Neque Horatius idem adiectivum in antithesi tam diversa significatione posuisset. Acron interpretatur: » *Quandoque bonus dormitat Homerus:* i. e. negligenter scribit, i. e. quandoque errat bonus poeta." Sed, ut iam dixi, epitheton tenuius est quam pro illo, qui eximie appellatur *poeta*. Choerilus, ait Horatius, *bis terve est bonus*. Hoc dictum postulat hanc antithesin, si idem adiectivum repetatur: Homerus, non bis vel ter, sed *semper est bonus*. Scribamus: *Sic mihi, qui cessat, multum, fit Choerilus, ille, Quem bis terve bonum cum risu miror, et idem Indignor, quando, usque bonus, dormitat Homerus.*

Verum opere in longo fas est obrepere somnum. Ita malunt hodie, et sic scripti aliquot, in quibus Reginensis noster. At vetustae editiones, et multo melior pars membranarum, Cruquiani libri omnes, Leidensis, Graevianus manu prima cet. *operi longo* exhibent. Utrumque quidem probe: nam *obrepere* et absolute ponitur. Ovidius Epist. Herus: *Sed movet obrepens somnus anile caput.* Lactantius de Opificio Dei c. XVIII. *Dum intenta est mens in ea de quibus cogitat, repente somnus obrepit.* Et dativo quoque iungitur. Ovidius Fast. III, 19. *Blanda quies furtim victis obrepit ocellis.* Seneca Troad. 441. *Brevisque fessis somnus obrepsit genis.* Quare cum utrumvis legitimum sit, ob codicum auctoritatem retinemus hic dativum: *Verum operi longo fas est obrepere somnum.* At *somnus*, inquies, non *operi*, sed *auctori* subrepit. Recte quidem: et idcirco cum hoc figuratius sit et dictu insolentius, a Librariis immutatum esse credibile est; illud tam planum et facile nunquam sollicitaturis, si a principio in Codicibus reperissent. Ceterum simili figura Statius Theb. VIII, 218. *nox addita curas Obruit, et facilis lacrimis irrepere somnus; lacrimis*, ut *operi obrepere*, hoc est dum flemus, dum opus facimus: nam *lacrimae* utique non magis dormiunt, quam *opus* dormit. Hieronymus ad Pammachium et Oceanum: *Quod si quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat libere, Interdum magnus dormitat Homerus; Verum operi longo fas est obrepere somnum.* Ita omnes doctissimi patris editiones, et codex scriptus in Collegio Emmanuelis Cantabrigiae. BENTLEIVS.

Memorabilis est locus Hieronymi, cum propter illud *interdum*, tum propter *magnus*. Qui ex verbis Horatianis paroemiam facere voluerunt,

Ut pictura, poesis: erit, quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius adstes:
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O maior iuvenum! quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum

illi, servato *quandoque* vel *quando*, facere non potuerunt. Igitur mutarunt in *interdum*. Iam Quintilianus Instit. Or. X, 1. *Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, et nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur.* Ubi *interim* significat *interdum*, ut Quintil. et aliis in locis utitur, v. c. XII, 1. *Transeo illos, qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quamquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit; nec Cicero Bruto Calvoque.* ubi illa *quem dormitare interim dixit* glossam olent. Observa porro in Hieronymo *magnus Homerus*, ut in Quintiliano *ipse Homerus*. Hoc non est Homerus *bonus*, sed *usque bonus*, ubique et semper bonus. Nam *bonus* sic simpliciter positum indicat poetam *sane non contemnendum*. Ita Cicero de Oratore II, 44. *Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poeta dicta est* flexanima atque omnium regina rerum, *oratio*. Cicero volebat Pacuvium, ex quo verba illa sunt petita.

Ut pictura, poesis: erit, quae, si proprius stes, Te capiat magis, et quaedam, si longius adstes. Primum ista paullo melius distinxi: *Ut pictura, poesis:* quae ratio est picturae, eadem est poeseos. Deinde, pro *et quaedam*, malim *at quaedam*. In *adstes* variant MSS. quorum nonnulla habent *abstes*. Sed et recte Latine dicitur *longe adstare*, ut *prope abesse*. Minus autem castigatum est illud *si propius stes, si longius adstes*. Requirebatur vel, *si propius adstes, si longius adstes*, vel *si propius stes, si longius stes*, vel *si longius adstes, si propius*. Horatius versum facere potuisset elegantiorem: *at quaedam, si longius; umbrae Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri.* Et quis novit an *adstes* non sit e glossa profectum? Si Horatius etiam vocabulo *longius* suum verbum addidit, addidit, credo, *abstes*. Melius opponuntur *stes–abstes*, et Graeci vocant μακρότερον ἀποστάντας.

Hoc tibi dictum Tolle memor. Iunge *tibi dictum*, non *tolle tibi*. Iacobus Tollius ad Anthol. Latin. T. II,

Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit, quantum Cascellius Aulus:
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poetis,
Non homines, non Dî, non concessere columnae.

p. 517, visus est sibi primus hanc formulam observasse, qua, ut dicit, cum indignatione non attendentes iubemus aures et animum advertere. Equidem hic etiam loca probe discernenda esse arbitror. Nam *indignatio* non semper adiuncta est, sed saepe amica admonitio, quum id, quod dicturi sumus, auditori imprimis curae cordique fore speramus, vel ex multis aliquem unum volumus, ad quem dicta nostra pertineant. Iam Plautus utitur in Curcul. IV, II, 30. *Heus tu, tibi ego dico.* Auctor Priapeiorum in Anthol. l. l. *Heus, inquit, tibi dicimus, cinaede.* Ovid. Metam. IX, 120. *Quo te fiducia, clamat, Vana pedum, violente, rapit? tibi, Nesse biformis, Dicimus, exaudi.* Phaedrus IV, 19. *Abiturus illuc, quo priores abierunt, Quid mente coeca miserum torques spiritum? Tibi dico, avare, gaudium haeredis tui.* ubi plura Burmannus. Catullus Carm. XXX. significatione haud multum dissimili *dico* posuisse videtur. *Eheu! quid faciant, dico, homines, quoive habeant fidem?* Eodem referenda sunt illa oratoria: *dicam quod sentio, dicendum enim est. Tolle tibi dictum memor* habet similitudinem formulae, quam adhibuit auctor versus in Aeneid. Virgil. VI, 377. *Cape dicta memor. Tolle dictum*, ut alibi de Lucilio Satyr. I, IV, 11. *Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.* Sunt enim haec verba amici interpellantis: Lucilius tamen, quamvis lutulentus fluat, multa habet, quae bona sunt, quae tollas et tecum portes. Ambulantes aliquid invenimus humi iacens. Si illud alicuius sit pretii, tollimus et in sinu recondimus. Vir sapiens, apud Horatium, ingentes thesauros oculo *irretorto* spectat. Si posset, non *tolleret*. Plutarchus in Themist. cap. XVIII. *τῶν τε νεκρῶν τοὺς ἐκπεσόντας ἐπισκοπῶν παρὰ τὴν θάλασσαν, ὡς εἶδε περικείμενα ψέλλια χρυσᾶ καὶ στρεπτούς, αὐτὸς μὲν παρῆλθε, τῷ δ' ἑπομένῳ φίλῳ δείξας, εἶπεν· Ἀνελοῦ σαυτῷ. σὺ γὰρ οὐκ εἶ Θεμιστοκλῆς.* Dictum Antigoni inter alios servavit Stobaeus Serm. 47. *Εἰ ᾔδεις ὅσων κακῶν μεστόν ἐστι τοῦτο τὸ ῥάκος, δείξας τὸ διάδημα, οὐκ ἂν ἐπὶ κοπρίας κείμενον αὐτὸ ἐβάστασας.* Ammianus Marcellinus XXX, pag. 461: *Themistocles cum post pugnam agminaque deleta Persarum licenter obambulans armillas aureas vidisset humi proiectas*

Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver,
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic, animis natum inventumque poema iuvandis,

et torquem: Tolle, inquit, haec, ad comitem quendam prope adstantem, tu qui Themistocles non es. Atque hinc explicandum puto illud Plautinum Mil. Glor. II, III, 22. *Verum enim tu istam, si te Dii ament, temere haud tollas fabulam.* Sine fabulam iacere, ne tolle, nullum in ea momentum pone.

Ut gratas inter mensas symphonia discors. Eandem sententiam sic expressit Cicero de Oratore I, 26. *Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio, quam diligenter et quam prope fastidiose iudicamus?* Idem I, 61. *A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate.* In sententia Horatiana aliquid, me quidem, offendit. Si dixisset: ut symphonia discors et crassum unguentum et papaver cum melle Sardo offendunt, quia sine ipsis vivere possumus; tacerem. Verum *symphonia discors*, non modo in coena, sed ubique, in omni vita offendit; *gravius* autem in coena offendit. Atque hoc mihi requiri videtur. GRATAS et GRAVIVS non valde differunt. Legamus: *Ut gravius inter mensas symphonia discors.* Potuisset, verbis transpositis: *Ut mensas inter gravius symphonia discors*, sed non est necessarium.

Et crassum unguentum. Neque epitheton *crassum* per se ipsum ad reprehensionem unguenti sufficit. Huic placet unguentum liquidum, illi crassum, et placebit, si ipsum modo unguentum sit bonum. Ipsorum Romanorum ea de re non unum idemque erat iudicium. Horatius suum non recte postulat unice esse verum. Plinius Hist. Nat. XIII, 3. *Quosdam crassitudo maxime delectat, spissum appellantes: linique iam, non solum perfundi unguentis gaudent.* Quare suspicor pro *crassum* legi debere aliud adiectivum, quo vitium unguenti indicetur commune, a quo omnes sine exceptione abhorrent. Hoc adiectivum quaerendum est vel in nomine proprio, ut *Sardum mel*, vel in nomine inventoris aut mercatoris, vel in communi, quod habet significationem *foetidi*. Mihi nullum in mentem venit.

Sic animis natum inventumque poema iuvandis. Natum dicitur omne id, quod sua natura aptum est et accommodatum rei, de qua agitur, quod homines non didicerunt, non invenerunt, sed iis ipsa Natura dedit. Nemo non novit verba Ciceronis pro Milone 4. *Est igitur haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum*

Si paullum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusque pilae discive trochive quiescit;
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, versus tamen audet fingere! Quidni?
Liber et ingenuus? praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni?
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat iudicis aures,

ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Quintilianus Instit. Orat. I, VI. *Non enim, cum primum fingerentur homines, analogia, demissa coelo, formam loquendi dedit: sed inventa est, postquam loquebantur.* In quo apparet imitatio Livii X, 8. *En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos, sed qui patrem ciere possent?* Et sic Graeci. Longinus de Sublim. § 2. *Γεννᾶται γὰρ, φασὶ, τὰ μεγαλοφυῆ, καὶ οὐ διδακτὰ παραγίνεται· καὶ μία τέχνη πρὸς αὐτὰ, τὸ πεφυκέναι.* Igitur non recte inter se conveniunt *natum inventumque. Natum* saepe quidem ponitur pro *tamquam, quasi natum*, ut Sallust. Iugurth. 31. *Quirites imperio nati.* Atque idem est *in* et *ad imperium nati*, quod fortasse scribere debuerant librarii Codd. qui in Sallustio scripserunt *in imperio.* Atque hanc formulam illustravere Cortius l. l. et Drakenb. ad Silium III, 335. Sed poema non est *quasi natum*, sed *vere natum*, quum etiam poeta non *fiat*, sed *nascatur;* et poesios unicum consilium est *animos iuvare.* Quamquam igitur sic locum interpretere, ne tum quidem bene subiungitur *inventumque.* Credo IN male esse repetitum ex ultima syllaba praecedentis vocabuli VM. Superest VENTVMQVE: pro quo si scribas FACTVMQVE, habebis, credo, ipsam Horatii manum. *Sic animis natum factumque poema iuvandis.* Illud *factum* optime cum *natum* coniungitur, eiusque vim auget et explicat. Cicero de Offic. I, 29. *Neque ita generati a Natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur.* Nepos, quamquam in re paullo diversa, Attic. 13. *domi natum domique factum.*

In Metii descendat iudicis aures. Editiones recentes *Metii.* Et *Metius* quidem sive *Mettius* passim in Historicis et Nummis Marmoribusque occurrit. Nos tamen maluimus, *in Maecî descendat iudicis aures.* Ita plane Graevianus *Maecii*, Leidensis, *Mecii*, Reginensis *Mecî*, licet a manu secunda; prout ex suis Lambinus et Cruquius ediderunt. Is ipse est, quod et viderunt Manutius Lambinusque, de quo Cicero Epist. Famil. VII, 1. *Reliquas vero partes diei tu consumas his delectationibus, quas tibi ipse ad arbitrium tuum comparas; nobis autem erant ea perpetienda, quae Sp. Maecius probavisset.* Quod si ita est, oportet ut *Maecius* hic non verus et vivus, sed figurate quivis alius legitimus et peritus iudex accipiatur. Quippe scripta est epistola illa Ciceronis quadraginta prius annis, quam Ars haec poetica. Ceterum prava hic interpunctio editores omnes decepit: *nonumque prematur in annum. Membranis intus positis, delere licebit Quod non edideris; nescit vox missa reverti.* Nam hac utique distinctione, bis idem dicitur in eodem orationis colo. Quid enim aliud est *Membranis intus positis*, quam *Quod non edideris?* alterutrum sententiae satisfacit, utrumque onerat polluitque. Tu vero sic tolles hanc maculam, pausa immutata: *in Maecî descendat iudicis aures, Et patris et nostras; nonumque prematur in annum Membranis intus positis. Delere licebit, Quod non edideris: nescit vox missa reverti.* BENTLEIVS.

Librarii nomina *Metii* et *Maecii* confundere solent. Metrum obstare non potest, quo minus legatur *Meti* vel *Metii*, in duas syllabas contracti. De quantitate nuper aliquid dixi ad Virgilium Aeneid. VIII, pag. 140. *Metii* rarius in Historia Romana nominantur, *Maecii* saepe, inprimis clari sub Caesaribus, de qua re est dissertatio Perizonii. Gens Etrusca esse videtur. A *Maecius* derivatur *Maecina, Maecinas, Maecenas*, ut a *Caecius, Caecina.* Quis hic Maecius fuerit, nemo facile pro comperto narraverit. Facio cum Bentleio, et aliis ante Bentleium, qui eundem putant, quem nominavit Cicero. In Scholiastis, quos accepimus, supersunt vetustissimorum Scholiorum reliquiae. Acro: »Metius (Maecius) doctus et severus auditor, qui illis temporibus summus Criticus fuit." Porphyrio: »Metius perdiligens carminum fuit aestimator." Commentator Cruquii: »*Meti*, pro *Metii.* Spurius Metius Tarpa iis temporibus Criticus summus fuit, doctus et severus auditor carminum aestimatorque." Hunc *Tarpam* Horatius iam nominaverat Sermon. I, X, 38. *haec ego ludo, Quae neque in aede sonent certuntia iudice Tarpa.* Ubi in Scholio Acronis legimus: »Tarpam iudicem voluit, quod probare consuevisset, quae ad scenam deferenda essent." Quae omnia optime conveniunt cum loco Ciceronis. Nam et Cicero loquitur de carminibus in scena cantatis, neque honorifice de Sp. Maecio sentit. Erat nimirum Maecius tum adolescens,

Et patris, et nostras; nonumque prematur in annum,

Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non ediderís; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque Deorum,
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones:
Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,

iudicio nondum satis subacto et confirmato, cui tamen, quacumque demum de caussa, vulgo multum tribuebatur. Idem vivere potuit tempore Horatii, et habere annos sexaginta quinque. Ita Ciceronis aetate natus fuisset annos viginti quinque. Sed de Maecio uberius, ni fallor, exposuit Estreus noster in Prosopographia Horatiana, cuius pulchre compositi libri duo Capita anno superiore Leidae prodierunt.

Silvestres homines sacer, interpresque Deorum, Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus. Non credo recte Latine adiectivum sic de eodem homine poni in priore membro, in altero substantivum. Rectum est *Orpheus sacer et Deorum amicus*, vel *Orpheus sacerdos et Deorum interpres;* non rectum est *Orpheus sacer et Deorum interpres. Sacer* ex sententia veterum interpretum est ὁ θεόλογος vel *sacerdos.* Sine exemplo. Equidem pro SACER scribendum arbitror GENVS. Prima corruptelae caussa iterum in transpositis literis. Elegans certe est et vere Latinus versus *Silvestres homines genus interpresque Deorum Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus.* Orpheus, ipse ex stirpe divina, cui mater fuit Calliope. Nihil melius dici poterat ad commendandum poetarum honorem. *Genus*, ut Virgilius Aeneid. I, pag. 222. *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.* Tibullus seu auctor Carminis ad Messalam vs. 62. *Quamvis illa foret Solis genus.* Virgilius Eclog. IV, 55. *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, Nec Linus, huic mater quamvis, atque huic pater adsit: Orphei Calliope, Lino formosus Apollo.* Quintil. Instit. Orat. I, x. *Iidem Musici et vates et sapientes iudicarentur Orpheus et Linus: quorum utrumque Diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse, posteris memoriae traditum est.*

Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis. Quia condidit urbem Thebas, ob hoc, quod condidit. Acron: »Cadmus Thebas constituit; eas muro cinxit Amphion." Cadmus nempe primus *arcem Thebam* condidit. Ea *arx* tunc erat *urbs* πόλις, neque alio nomine, quam πόλις appellabatur. Haec *vetus urbs*, deinde per Amphionem aucta et amplificata, ut distingueretur a nova illa, nominabatur *Cadmea*, et eximie πόλις, ut Londinii antiquissima pars *city* et Parisiis *la cité.* Qui novam

Saxa movere sono testudinis, et prece blanda

condebant urbem, eam plerumque in loco editiore ponebant et naturam arte et opere juvabant, adeo ut vetustissima urbium pars eadem vulgo esset munitissima, appellareturque ἀκρόπολις et *arx.* Addita nova parte ab Amphione, iam erant *duae urbes*, unde fluxisse puto nomen plurale. Non enim amplius erat *Theba*, sed *Thebae.* Sic, veluti credo, et *Syracusa* et *Syracusae*, et *Athena* fuit antiquissimum nomen a *Minerva* Ἀθήνη appellata. Theseus varias partes deinde coniunxit; hinc appellata *Athenae.* Plutarchus in Pelopida 18 ista probe noverat, quum scriberet: τὰς γὰρ ἀκροπόλεις ἐπιεικῶς οἱ τότε πόλεις ὠνόμαζον. Thucyd. II, 15. καλεῖται δὲ διὰ τὴν παλαιὰν ταύτῃ κατοίκησιν καὶ ἡ ἀκρόπολις μέχρι τοῦνου ἔτι ὑπὸ Ἀθηναίων πόλις. Atque hinc explicandus est alter locus Thucyd. VI, 4, de urbe Gela: Γέλαν δὲ Ἀντίφημος ἐκ Ῥόδου καὶ Ἔντιμος ἐκ Κρήτης ἐποίκους ἀγαγόντες κοινῇ ἔκτισαν, ἔτει πέμπτῳ καὶ τεσσαρακοστῷ μετὰ Συρακουσῶν οἴκισιν. καὶ τῇ μὲν πόλει ἀπὸ τοῦ Γέλα ποταμοῦ τοὔνομα ἐγένετο, τὸ δὲ χωρίον οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ ὃ πρῶτον ἐτειχίσθη, Λίνδιοι καλεῖται. Thucydides, ut saepe, obscurus est. Pro ἐποίκους magis perspicue scripsisset ἀποίκους. Nam locus, quo cum colonis venere, non erat habitatus. Antiphemus et Entimus *urbem* condiderunt eamque muris circumdederunt. Iste locus, qui etiam nunc *urbs* appellatur, nominata ab iis est *Lindii.* Circum hanc urbem, Lindios, alii deinde coloni, aliunde venientes, aedificia construentes, novam urbem aedificarunt, et appellaverunt Gelam a flumine Gela. Ita non modo vetus oppidum, Lindii, sed etiam nova pars uno nomine dicta fuit *Gela;* non *Gelae*, quia vetus *Gela* non fuerat. Urbs autem dicta est non *Lindus*, sed *Lindii.* Populus et urbs saepe habent idem nomen. Caussa haec est: ager, in quo habitant Lindii, est Lindiorum. Proficiscor ad *agrum Lindiorum* et *ad Lindios* non differt. Nota sunt illa ἐν Πέρσαις, *in Sabinis*, alia. Eadem loquendi consuetudo ad *urbes* transiit. *Urbs Lindiorum* et *Lindii* intelliguntur iidem, idque apud veteres eo facilius, quia una urbs saepe totam civitatem et gentem efficiebat. Talia in omnibus locis, praecipue in Sicilia et Italia inveniuntur, Leontini, Locri, Thurii: ut mirer Salmasium ad Florum I, xi, scripsisse, nulla Graecarum urbium nomina in οι terminari. Itali ad eandem rationem dixere *Corioli*, *Veii*, *Gabii*, proprie ipsa populorum nomina. Nomina gentilia, *Coriolani*, *Veientes*, *Gabini*, sunt recentiora et ficta a Romanis, ut incolas ab urbibus distingnerent. Aliae nationes deinde ex nominibus gentium fecere nomina urbium. Quam urbem Romani vocabant *Lutetiam Parisiorum*, haec deinde appellata est *Parisii.* Ita ex *Ambianis* factum

Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,

est *Amiens*, ex *Turonibus*, *Tours*, ex *Rhemis*, *Rheims:* nisi dicas esse pronuntiationem mutatam. Sed sentio me imprudentem ulterius esse progressum, quam initio proposueram. Haec autem disputavi interpretis caussa, qui recte quidem *Thebanae conditor urbis* alteri scripturae *arcis* praetulit, sed tamen iis nititur argumentis, quae equidem probare non possum. »Cadmus, inquit, Thebas constituit; eas muro cinxit Amphion. A muris, et turribus deinde, incipiunt urbes. Progressu temporis alicubi *arx* in summo constituebatur." Historia Graecorum nobis aliam rationem *arcium* condendarum ostendit.

Saxa movere sono testudinis et prece blanda Ducere quo vellet. Quod de Amphione traditur, est mythus. Saxa movit et duxit, quo vellet, sono testudinis. Hoc convenit ingenio mythorum. *Duxit prece blanda*, de lapidibus dici non potest, sed pertinet ad explicationem mythi. Amphion movisse dicitur saxa, quia homines blanda oratione, loquendo et orando, perduxit, quo vellet. Horatius mytho de Amphione explicationem non addidit, sicuti addidit mytho Orphico. In vulgata lectione mythus et explicatio male miscentur, nec quidquam inveni magis ridiculum, quam imaginem hominis, saxa *prece* ducentis. Saxa *cantu moveri*, cadit in infantiam humani ingenii. Alterum illud ab omni ratione abhorret. Et quid opus erat *prece*, ubi saxa iam sono testudinis movebantur? Ergo Musica non sufficiebat, et Amphion artis suae mediocriter erat peritus. Eiice PRECE, et repone FIDE. *Saxa movere sono testudinis et fide blanda Ducere, quo vellet.* Horatius et alii *fide* sic saepe posuerunt: *blanda fide*, ut idem Carm. I, 12. de Orpheo, quem laudat *Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus.* Eleganter porro *sono testudinis et fide blanda*, quasi per figuram Hendiadyn, pro eo, quod erat simplicius, *blando sono fidium testudinearum.* Verum ita poetae neque propter metrum loqui poterant, nec, si possent, vellent aut deberent. Pulchre Palladius allegoriam Orphei explicavit. Carmen legitur in Anthol. Latin. Burm. T. I, pag. 99. *Threicius quondam vates fide creditur canora Movisse sensus acrium ferarum, Atque amnes tenuisse vagos, sed et alites volantes, Et surda cantu concitasse saxa; Suavisonaeque modos testudinis arbores secutae, Umbram feruntur praebuisse vati.* Ubi nota *fide canora* et *modos suavisonae testudinis.* Pulchre, inquam, et multo pulchrius quam similis carminis auctor in eadem Anthologia T. I, pag. 97. *Argutae primum cum plectra parentis et auro Distinctam sumsit citharam Rhodopeius heros.* Is auctor olim dicebatur Cassius Parmensis; eiusque nomine, quasi nemo unquam ea de re dubitasset, a Carolo Fea ad Horatii Epist. I, IV, 3, repetitum est, vocaturque lepidum et elegans. Burmannus ad l. l. melius iudicavit, et multi ante Burmannum.

Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit: dictae per carmina sortes;
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori

Tyrtaeusque mares animos in Martia bella Versibus exacuit. Hic quidem locus sanissimus est facillimusque: verum hac occasione fas erit depravatissimum L. Ampelii locum emendare, c. XIV, de Ducibus Lacedaemoniorum: *Othryades vir bellator — tropaeum suo sanguine scripsit, tertiusque Messenio bello, ex oraculo Apollinis dux ab Atheniensibus per ludibrium missus, poenateas vota, militum animos concitavit, ut tam diuturnum proelium victoria consummarent.* Corrige: *Tyrtaeusque — dux per ludibrium missus, poemate suo ita militum animos concitavit, ut tam* sq. Vide rem apud Iustinum III, 5. BENTLEIVS.

MSS. quaedam *Dircaeusque.* Unde corrupte in Cod. Brenckmanni *Direcusque.* In editione Veneta a. 1477, impressa per Philippum Condam Petri, quam Bentleius non vidit: *Diicaeusque artes animos in martia bella.* Codex Leidensis antiquissimus habet *Tyrcaeusque.* Omnes aberrationes a vero *Tyrtaeusque*, pro quo et faciunt quae sequuntur *animos in bella versibus exacuit*, et Quintil. Instit. Orat. X, 1. *Quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiunxit?* et XII, 11. *Neque qui Homeri gloriam consequi non potest.* Locum L. Ampelii Bentleius felicissime restituit. Idem, Bentleio ignorante, alii fecerant. Vide editionem libelli Dukerianam, Floro subiunctam.

Et gratia regum Pieriis tentata modis, ludusque repertus, Et longorum operum finis. Horatius in hoc praecepto, inde a vs. 391 usque ad 408, docet munus poetarum semper fuisse gravissimum et utilissimum, ac propterea in magno honore et pretio habitum, adeo quidem ut vates appellati fuerint *divini.* Eximia quidem Orphei et similium Orpheo fuere merita de humano genere, neque tamen aliorum contemnenda. In his alii totas nationes suis carminibus ad virtutem bellicam inflamma-

Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est: ego, nec studium sine divite vena,
Nec, rude quid possit, video, ingenium: alterius sic

runt, ut Homerus Graecos in bellis Persicis, Tyrtaeus Spartanos; alii oracula composuerunt, quorum in omnes Graecorum res fuit incredibile momentum et vis salutaris, alii praecepta philosophiae moralis composuerunt. Non est igitur, cur quemquam pudeat esse et appellari poetam. Tria ista carminum genera omnium aestimationem merentur et venerationem, adeo quidem, ut *gratia regum ludusque repertus* non tantum cum iis non comparari possint, verum etiam sic coniungi, quasi idem valerent, non debeant. *Gratiam regum tentare*, est, ipsa res levissima et adulatoribus propria. Versus componere ad delectandos rusticos, labore defessos, ut ridendo exhilarentur, non eam habet laudem, ut una de magnis Poesios commendationibus appelletur. Quare credam Horatium, his tamquam spuriis eiectis, scripsisse: *dictae per carmina sortes, Et vitae monstrata via est: ne forte pudori sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo.* Maiorem veri similitudinem haec suspicio nanciscitur, si versum postremum inspicias. *Poetae repererunt ludum, carmina scenica* quivis intelligit: sed *repererunt ludum et finem operum*, nemo, si verum dicere velit. Latinitas certe postularet *ludusque repertus, Longorum finis operum:* hoc est, invenerunt ludum, qui est finis, factus est finis, quem rustici fecerunt finem. Quamquam vel sic nomen *rusticorum* minus recte omitteretur. Omnia credo esse ficta ex Horatio Epist. II, 1, 141. *Agricolae prisci, fortes parvoque beati, Condita post frumenta levantes tempore festo Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem, Cum sociis operum et pueris et coniuge fida, Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.*

Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo. In uno Leidensi nostro *cantator*.

Nec rude, quid prosit, video ingenium. Veteres aliquot apud Lambinum Codices et unus apud Franciscum Luisinum, *Quid possit;* atque sic locus citatur a Ioanne Sarisber. Metal. I, 8. ubi et editi et MSS. *possit*. Rectissime. Sic Carm. I, 26. *Pimplei dulcis, nil sine te mei Possunt honores.* Ubi vide quae adnotavimus; et eis adde Carm. IV, 14. *didicere nuper Quid Marte posses.* Epist. I, IX, 6. *Quid possim videt, at novit me rectius ipso.* Plautus Asin. III, V, 46. *Videtin' viginti minae quid pollent, quidve possunt? Quid possit, τί δύναιτ' ἄν*, quid laudabile, quid egregium pariat. At quid *prosit, τί ἂν ὠφελοῖ*, minus est humiliusque, quam quod poscit sententia. Nam et Choerilo, cum incultis

Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nunc satis est, dixisse: Ego mira poemata pango:

versibus aureos Philippos abstulerat, *profuit* quidem rude ingenium, quantillum vero erat, quod *potuit*, vidit optima iudex Posteritas. BENTLEIVS.

Possit etiam legitur in margine unius MS. D'Orvilliani.

Alterius sic Altera poscit opem res et coniurat amice. » Nonnulli quaesiverunt, utrum hic natura plus valeret an doctrina. Equidem nec naturam sine doctrina, nec doctrinam sine natura sufficere iudico. Altera alterius auxilio eget." Si, ad connectendam argumentandi rationem in fine particula addatur, addi oportet: *Sed altera res alterius auxilio eget.* Melius: *alterius sed Altera poscit opem res et coniurat amice.* Ita Longinus disputationem finit § 36. *τῇ γὰρ ἀλληλουχίᾳ* (naturae et artis) *ἴσως γένοιτ' ἂν τὸ τέλειον. Sic* est statuentis aliquid, tamquam axioma: *sed*, suum modo iudicium ponentis.

Abstinuit venere et vino. MSS. Lambini *Venere et Baccho.* Sic etiam erat in Cod. Brenckmanni et Vlamingii. Illud *vino* oriri potuit ex glossa: *Baccho* autem magis habet speciem proverbii, ut: *Sine Cerere et Libero friget Venus.*

Nunc satis est, dixisse: Ego mira poemata pango. Percipe sodes intento animo filum ductumque orationis: *Qui studet optatam cursu contingere metam, Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit, Abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum. Nunc satis est dixisse: Ego mira poemata pango: Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est, Et quod non didici sane nescire fateri.* Qui, inquit, Olympia certat cursor, qui Pythia cantat tibicen, non audet in certamen descendere sine longa et assidua sub magistro exercitatione: Nunc *satis est dixisse* cet. *Nunc* vero sine ulla doctrina vel usu quivis poeticam sibi arrogat. Quorsum obsecro illud *Nunc?* Cum nulla hic temporum, sed studiorum dumtaxat oppositio est. Non enim praesentes poetas cum antiquis in stadio cursoribus, cum priscis tibicinibus comparat: nam et qui nunc, inquit, studet *metam contingere*, quique nunc cantat *Pythia*, prius arte se et labore formant praeparantque. Vides iam, opinor, *τὸ ἀνακόλουθον;* vides illud *nunc* et nihil ad rem facere, et sententiam subvertere. Enim-

Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,

vero, si *nunc satis est* voluisset Horatius; consequens erat, ut non in diversis artibus, sed in una eademque comparatio institueretur, hoc modo: » Olim quidem homines non sine magno apparatu, sine multo doctrinae instrumento et supellectile *Poeticam* attingere ausi sunt; *Nunc* satis est dixisse, *Ego poeta sum*, et sic illotis pedibus ad Musarum fores accedere." Quid ergo fiet? Sine dubio mendosum erit illud *nunc;* et sane Codex Digbeanus Oxonii *non;* at Vigorniensis noster, alterque ex bibliotheca Episcopi Eliensis *nec* clare exhibent. *Nunc* vero non *nec* proclive erat, ut Librarii substituerent; cum minimum scriptione differant $\overline{nc}$ et *nec*. Certissima igitur emendatio est: *qui Pythia cantat Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum. Nec satis est dixisse, Ego mira poemata pango.* In nulla, inquit, arte sine labore et studio nomen nancisceris; nemo aut cursu aut cantu palmam sibi spondere audet sine legitima exercitatione: *nec* in poesi *Satis est dixisse* cet. BENTLEIVS.

Pro *nunc* in quibusdam MSS. *num*. Hinc fuere qui coniicerent: *Num satis est dixisse, ego mira poemata pango?* Bentleius *nec* bene commendavit; habetque illud fortasse aliquod praesidium in loco Quintiliani Instit. Or. V, 10. *Sed non magis hoc sat est, quam palaestram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis, ante omnia natura iuvatur, sicuti contra nec illa quidem satis sine arte profuerint. Mira* autem *poemata* non bene intelligo. Nam hoc revera dixisse satis est, si etiam praestatur. Contrarium Horatius non dicit. Omne praeceptum versatur in laudanda exercitatione: cursor et tibicen prius discunt. Sic facere oportet poetam, prius quam versus scribat: in pueritia et adolescentia se praeparare debet. In consecutione huius sententiae requiritur: non satis est dixisse » Ego iam nunc, puer, adolescens, carmina pango. Metuo ne serus veniam. Turpe mihi est relinqui. Mihi non opus est illa praeparatione." Qui dicit se *mira poemata pangere*, est superbus. Sed potest esse superbia meritis quaesita. Et Horatius non reprehendit superbiam, sed *festinationem*. Finge Horatium scripsisse: *Nec dixisse sat est: Matura poemata pango;* hunc versum Grammatici sic interpretabantur: *nec satis est dixisse, ego matura poemata pango, hoc est, matura facio.* Ex tali interpretatione quam saepe textus fuerit corruptus, vel ex Acrone, Porphyrione et Commentatore Cruquiano discimus. Si plura, quam nunc, haberemus MSS. fortasse in uno alterove inveniremus: *Nec dixisse sat est, ego matura poemata pango.* Si *ego* servaretur, *matura* debuit mutari in *mira* vel aliud duarum syllabarum adiectivum, quale *ego multa.* Quid, inquit poeta festinans, mihi cum lenta praeparatione? Iam nunc incipio. Mature versus compono. Cavebo ne sim postremus. Sero

Et, quod non didici, sane nescire, fateri.
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Adsentatores iubet ad lucrum ire poeta,
Dives agris dives positis in foenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-

venientibus ossa! *Matura poemata*, ut Epist. II, 1, 15. *Praesenti tibi maturos largimur honores, Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Alios facimus Divos post mortem, tibi iam nunc, viventi, mature adeo hos honores largimur.

Et, quod non didici, sane nescire, fateri. Ineptus ille poeta, qui habet hunc molestissimum morbum, scribendi cacoethes, nunquam, tanto fuit iudicio, ut senserit, se nescire, quod non didicerit. Qui sensit, post primos conatus statim desiit, neque opus est fateri se nescire. Cicero ad Atticum XIV, 20. *Accipe a me καθολικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quam se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit.* Idem Tuscul. Quaest. V, 22. *In hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur.* Quomodo iam aliquis, qui putat se artem optime intelligere, adeo ut iam adolescens scribat, suam artis ignorantiam agnoscet? Hoc est hominis modesti et prudentis, qualis erat Crassus apud Ciceronem de Oratore II, 22, qui partes disputandi suscipiebat *ea conditione, dum ipsi liceret negare posse, quod non posset, et fateri nescire, quod nesciret.* Si praeter hanc difficultatem cogito adverbium *sane*, quod vix bene explicari potest, et versui tantum implendo additum videtur, totum versum Horatio indignum iudico, fictum ex vs. 88 huius Epistolae: *Descriptas servare vices operumque colores Cur ego si nequeo ignoroque, Poeta salutor? Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?* ubi dicit, quid ipse in tali caussa esset facturus, et Pisones ut idem faccrent, hortatur, ne scilicet falso pudore deterreri se paterentur a rebus discendis, quas ignorarent.

Et spondere levi pro paupere, et eripere atris Litibus implicitum. Levis homo dicitur, in quo nulla est constantia, nulla aequabilitas, mobilis, vitiosus, scelestus. Hoc neque perpetuum est pauperis epitheton, nec pro tali dives unquam sponderet, potius pro *honesto paupere*, contemto illo quidem et ignobili, non

Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu, seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum

tamen ita contemni digno. *Levis* est epitheton certis hominibus ex omni conditione proprium, *vilis* pauperibus universe proprium. Atque pro LEVI scribendum est VILI, et simul alia mutanda, quo facto versum accipimus vulgato longe meliorem: *Si vero est, unctum qui recte ponere possit, Et spondens vili pro paupere, eum eripit atris Litibus implicitum.* Quia spondet, dum spondet, pauperem eripit. Rectius *eripit*, quam *possit eripere.* Iunge autem *si est*, — *et eripit*, non *qui possit et eripit. Eripere* proprie de *reo* dicitur. Vide Graevium ad Florum I, 3. *Vili* legisse videtur Commentator: »*Levi. vili:* promittere pecuniam se daturum, quam debet vilis pauper et humilis." Interpretatur *vilis*, dicens *et humilis*, ut saepe quasi per periphrasin faciunt Scholiastae. Quod in principio scholii positum est *levi*, deleatur: *vili* est vocabulum, quod ille in suo exemplo vidit.

Et eripere atris Litibus implicitum. Atrae quidem *lites* satis bene dici possunt, ut *atrae curae*, *atri luctus* et similia. Atqui eo pacto vagum tantummodo perpetuumque erit epitheton: cum tamen in promptu erat aliud aptius et singularius, quod ex ipso solo enascitur, et quod adiunctis vocabulis vim mutuam donat debetque. Neque enim dubito, quin sic dederit Horatius: *Si vero est, unctum qui recte ponere possit, Et spondere levi pro paupere, et eripere artis Litibus implicitum.* Ideo *artis litibus* (sic enim olim scribebant, non, ut prave nunc, *arctis*) quia dixerat *implicitum:* haec enim se mutuo respiciunt: strictis, nodosis litibus, unde eripi et liberari cute salva difficile est; implicatum et irretitum. Prudentius Peristeph. X, 202. *Qui si citatur legibus vestris reus Laqueis minacis implicatus Iuliae.* Lucretius V, 1146. *Sponte sua cecidit sub leges artaque iura.* Statius Silv. III, 5. *Nulla foro rabies, aut strictae iurgia legis.* Iuvenalis VIII, 50. *Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.* Plinius Hist. XVI, 5. *Additae leges artae, et ideo superbae.* Cicero pro Sextio c. 41. *Ut illum exsultantem et tripudiantem legum, si posset, laqueis constringeret.* Pro Coelio c. 70. *Eo maleficio erant impliciti, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur.* In Vatinium c. 5. *Cum homines, negotia gerentes, iudiciis iniquissimis irretires.* Et rem et verba habes apud Ammianum Marcellinum XXX, 4. de rabulis forensibus: *Qui inter sollicitudines iudicum per multa distentas irresolubili nexu vincientes negotia, laborant ut omnis quies litibus implicetur, et nodosis quaestionibus de industria iudicia circumscribunt: quae cum depravantur,*

Laetitiae; clamabit enim: pulchre! bene! recte!
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
Ut, quae conductae plorant in funere, dicunt

fovcae sunt fallaces et coecae, in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exsiliet lustra, adusque ipsas medullas exsuctus. BENTLEIVS.

Clamabit enim: pulchre! bene! recte! Si unquam, in tali oratione, eaque adulatoris, requiritur climax. Si quis hic a potentiore ad leviora decrescit, is et agit contra naturam, et sua ipse verba facit suspecta. Quare non dubito quin Horatius, inverso ordine, dederit *recte! bene! pulchre!* Observat idem Terentius in Eunucho IV, VII, 3. T. *Primum aedes expugnabo.* G. *recte.* T. *Virginem eripiam.* G. *probe.* T. *Male mulcabo ipsam.* G. *pulchre.* Veritas transpositionis apparet etiam ex interpretibus Francis et Germanis. Reddiderunt verba Horatii, non ut nunc leguntur, sed ut legi oportet. Batteuxius: *Que cela est beau! que cela est admirable!* Latina postulabant prius, quod fecit posterius. Boilavius Art. Poet. I, 193. *Un flatteur aussitôt cherche à se recrier, Chaque vers qu'il entend le fait extasier. Tout est charmant, divin.* Ramlerus: *Schön! vortrefflich!* Wielandus: *dann da versteht sichs, dass er alle Augenblicke, O schön, vortrefflich, herlich! rufen wird.* Vossius: *Dann schreit er gewiss: Schön! herlich! entzückend!* Ut nemo Romanus diceret in huiusmodi exclamatione *praeclare, bene*, ita nec *pulchre, bene.* Multae sunt tales exclamationes, a Wouwerio, Cresollio, aliisque explicatae; gradationem ubique servatam videmus. Cicero de Orat. III, 26. »Quare, *bene* et *praeclare*, quamvis nobis saepe dicatur; *belle* et *festive* nimium saepe nolo." Par ratio, ni fallor, apud Graecos, Aristophanem, Platonem, ὀρθῶς, εὖ, καλῶς. Atque ego haec ita dudum emendaveram, cum laetus vidi C. Feam annotasse: »*Recte, bene, pulchre* V. B. a. 1. m." Fea illam scripturam silentio praeteriit, quasi tolli indignam. Ego illud mecum cogitabam, MSS. saepe in manibus nostris esse, quod erat margarita in pedibus galli gallinacei apud Phaedrum.

Etiam stillabit amicis Ex oculis rorem. Scripsissem potius *amicum Ex oculis rorem. Ros* est praemium, idque melius appellatur *amicum*, quam qui dat; et *ros* pro lacryma minus eleganter sic nude ponitur.

Ut, quae conductae. Vulgo, *Ut qui conducti;* nec ulla varietas in ullo MS. reperitur. Kirchmannus de Funer. Rom. II, 6. et Marklandus ad Euripidis supplices, corrigunt: *Ut, quae conductae plorant in funere.* Et versus Lucilii suadere videtur, ut hoc accipiamus: *mercede quae conducta flent alieno in funere praeficae.* Idem sua-

Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urguere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.

dent Grammatici Nonius Marcellus et Festus, et probat Wyttenbachius. Idem Nonius in Neniae: *Ineptum et inconditum carmen, quod conducta mulier, quae praefica dicebatur, his, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* Scio genus masculinum saepe universe poni, quando et femininum complectitur, de qua re multa annotavit Dorvillius ad Charitonem pag. 77, 153 et alibi: et hinc nonnulli hunc locum explicaverunt; fuisse enim in funere et alios, praeter feminas. Nusquam tamen inveni alios fuisse conductos ut plorarent, quam feminas.

Quem perspexisse laborent. Et veteres editiones, et plerique omnes Codices, *laborant.* Revocetur itaque; et deinceps scribamus: *Reges dicuntur magnis urguere culullis, Et torquere mero, quem perspexisse laborant, An sit amicitia dignus.* In duobus solis reperi *laborent;* quorum in uno emendatum erat *laborant.* Sane quid modus subiunctivus hic faciat, non video. BENTLEIVS.

Quamquam fortasse sic explicari posset modus ille subiunctivus, quia oratio tota est indirecta et suspensa, *reges dicuntur* aliquem mero torquere, *quum laborent eum perspexisse;* simplicius tamen ac facilius *laborant.* Quod in nonnullis MSS. et editionibus visitur, *prospexisse* et *perspexisse*, sunt errores librariorum. Miror aliquem illud *prospexisse* tueri potuisse.

Numquam te fallant animi sub vulpe latentes. Ego, quod in aliis MSS. legitur, *fallent* praefero vulgato *fallant.* Si carmina condes, carmina facient, quod vinum. Veri et falsi amici ex iudicio de carminibus *deprehendentur*, ficti te non *fallent.* Sed, rogo, quid sunt *animi sub vulpe latentes?* Animi, ni fallor, seu homines, qui sumserunt externam speciem vulpis, vulpes adeo videntur, sed intus, revera sunt fallaces. Si vulpes esset animal sincerum et candidum, recte opponerentur fallaces. Nunc dicit Horatius: Homines latentes sub forma fallacium nunquam te fallent. Quod ineptum. *Latere sub aliqua re* non aliter poni solet. Livius I, 56. *Ut sub eius obtentu cognominis* (Bruti) *liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora sua.* Ovidius Amor. I, VIII, 104. *venena latent sub melle.* Metam. XIV, 275. *Quique sub hac lateant furtim dulcedine, succos Adiicit.* Ita, quod latet, peius est,

Quinctilio si quid recitares; corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc: melius te posse negares?
Bis terque expertum frustra delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.

et latet sub forma pulchriore, ut alios decipiat. Si quis sub *vulpe* latet, is statim deprehenditur, quia *vulpes* omnibus nota est animal fraudulentum. Si legeretur v. c. et propter metrum legi posset: *nunquam te fallet vulpes sub animis* vel *in animis latens;* intelligerem. Sic Persius recte scripsit Satyr. V, 117. *Pelliculam veterem retines et fronte politus Astutam rapido servas sub pectore vulpem.* Ut Carbo apud Plutarch. in Sylla dicebat: ὡς ἀλώπεκι καὶ λέοντι, ἐν τῇ Σύλλα ψύχῃ κατοικοῦσιν, ὑπὸ τῆς ἀλώπεκος ἀνιῶτο μᾶλλον. In Horatio pro VVLPE scribendum arbitror PELLE, pro ANIMI autem AMICA. Parva mutatio; unde accipimus: *Nunquam te fallent amica sub pelle latentes;* et transposita praepositione *Nunquam te fallent sub amica pelle latentes.* Qui alii volunt videri atque sunt, hi alienum vestimentum, pellem induunt falsam, ut vera facies et habitus lateat. Usus linguarum hinc proverbia fecit, plerumque a pellibus animalium desumta. Eaque animalia vel vocantur, vel non vocantur. Graeci appellant *astutum* ἀλωπεκὴν ἐνημένον, *rapacem* λυκέην, *timidum* νεβρίδα, ingenio varium, *versipellem*, παρδαλέην ἐνημένον. Matthaeus in Euangelio VII, 15. προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. Horatius Serm. II, I, 54. *Lucilius ausus Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis.* Epist. I, XVI, 45. *Introrsum turpem, speciosum pelle decora.* Sic auditores carminum mendaces latent sub pelle amica, quasi veri sint amici, et, laudantes, ex animi sententia loquantur, sine fraude et dolo, ut amicum loqui oportet, intus autem carmina inepta rident: videntur amici, revera sunt risores. *Amica pellis* eleganter pro *amici pellis*, ut paullo ante *rorem stillabit* ex *oculis amicis.* Amant hoc poetae, ut exquisitius. Ita *pectus amicum*, *ungues amici*, similia, de quibus Heinsius ad Ovidii Artem I, 585. *Tuta frequensque via est per amicum fallere nomen.*

Et male tornatos incudi reddere versus. Tornatos quidem *versus*, notissima et aptissima translatione, recte alias dici nunquam negaverim. Sic enim et Propertius II, XXV, 43. *Incipe iam angusto versus includere torno.* Lucanus in Panegyrico Pisonis: *hinc exornata figuris Advolat excusso velox sententia torno.* Gellius IX, 8. *Hanc sententiam memini a Favorino inter ingentes omnium clamores detornatam inclu-*

Si defendere delictum quam vertere malles,

samque verbis his paucissimis. Ubi obiter nota illud *inclusam:* inde enim firmatur recepta lectio in superiore Propertii loco, contra Scaligeri sententiam, qui versus *includi torno* recte posse dici negabat. Appuleius in Floridis IX. *Meum vero unumquodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis, cum torno et cothurno iterum comparatis.* Sic et Graeci eadem Metaphora ἀποτορνεύειν. Philostratus in Vita Polemonis: *Καὶ ὅτε ἀποτορνεύοι τὴν περίοδον, τὸ ἐπὶ πᾶσιν αὐτῇ κῶλον σὺν μειδιάματι φέρειν, Et cum detornaret periodum, postremum ei colon renidente vultu inferebat.* Plutarchus *περὶ τοῦ ἀκούειν:* In Lysiae, inquit, oratione De Amore id laudat Plato, *ὅτι τῶν ὀνομάτων σαφῶς καὶ στρογγύλως ἕκαστον ἀποτετόρνευται, quod verborum unumquodque clare et rotunde detornaretur.* Platonis ipsius verba in Phaedro habentur: *Ὅτι σαφῆ καὶ στρόγγυλα καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται.* Quin et figura fere simili *γλυπτοὺς καὶ τορευτοὺς λόγους, sculptas et caelatas orationes*, bis dicit Dionysius Halicarnassensis de Compositione Verborum p. 30. *Ἄλλως τε καὶ τῶν τότε ἀνθρώπων οὐ γραπτοῖς, ἀλλὰ γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφερόντων λόγους.* et de Demosthene p. 104. *Ὁρῶν τοὺς κρατίστους λόγων ποιητὰς νομιζομένους, Ἰσοκράτην καὶ Πλάτωνα, γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφέροντας λόγους.* Crinagorae Epigramma in Callimachum: *Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε.* Aristoph. Thesmoph. 995. *ἀλλ' εἶ, ἐπ' ἄλλ' ἀνάστρεφ' εὐρυθμῷ ποδί, Τόρευε πᾶσαν ᾠδήν.* Ubi tamen *τόρνευε* reponendum arbitror, ut loco convenientius: *Verum age, alio te converte composito pede; Torna totam cantilenam.* Idem in simili sententia plura de fabrili opificio sumsit vocabula, versu ibidem 58. *Κάμπτει δὲ νέας ἀψῖδας ἐπῶν. Τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ καλλομελεῖ. Καὶ γνωμοτυπεῖ, κἀνονομάζει. Καὶ κηροχυτεῖ, καὶ γογγυλίζει, Καὶ χωνεύει.* Ubi obiter ob Anapaesti legem emendandum erit, *Καὶ γυγολίζει:* ut *φάρυγος* correpte pro *φάρυγγος* et similia dixerunt: *Flectit autem novas versuum curvaturas; Nunc tornat, nunc conglutinat; Nunc sententias ponit, nunc antonomasias; Nunc incerat, nunc rotundat, nunc conflat.* Quod vero hic particulatim dixit, singula fere fabrilis officinae memorans instrumenta; summatim alii dixerunt, *fabros* carminum poetas appellantes: ut Cratinus in Eumenisi Comoedia, apud Schol. Aristoph. Equit. vs. 527. *Τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων.* et Pindarus Nem. III. *Μελιγαρύων τέκτονες κώρων νεανίαι.* Porro ex eadem officina traducta sunt quae passim occurrunt, *opus limatum, politum, expolitum*, et alia id genus: ut ineptus plane sit

Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,

et in veterum scriptis hospes, qui *versus tornatos*, quod apud Nostrum nunc circumfertur, in universum signo atro notaverit. Nihilo tamen minus iam diu est, cum elegantioris ingenii homines Horatium culpant; non quod *tornatos versus* dixerit, sed quod *incudi reddere* parum caute addiderit, resque plane diversas *Tornum* et *Incudem* una coniunxerit: *Et male tornatos incudi reddere versus.* Recte illi quidem et vere: quid enim *torno* cum *incude?* Si quidem hoc est, quod ipse iam dixerat, *Delphinum silvis appingere fluctibus aprum.* Ego vero Venusinum nostrum, subtili, si quis alius, et castigato iudicio poetam, extra culpam esse dico: codices autem a dormitantibus Librariis esse depravatos. Videamus locum integrum: *Quintilio si quid recitares, Corrige sodes Hoc, aiebat, et hoc; melius te posse negares, Bis terque expertum frustra? delere iubebat, Et male tornatos incudi reddere versus.* Enimvero corrigendum aio, *Et male ter natos incudi reddere versus.* Ubi levissima sane mutatio est; sententia vero iam clara et perspicua. Quereris, inquit, Quintilius, te bis terque frustra conatum esse versus istos lambendo et fingendo meliores reddere? Tu vero, qui ter male exierunt versus prorsus abiice, neque iam limam amplius adhibe ad cos frustra poliendos, sed incude potius utere formandis et fabricandis novis. Recte autem, *Versus ter male natos:* ita Noster alibi, Epist. II, 1, 233. *Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Choerilus, incultis qui versibus et male natis Retulit acceptos regale nomisma Philippos.* Haec ubi ante sedecim ferme annos in Notis ad Callimachum, et iisdem pene verbis, dixeramus: nisi quod plura nunc Veterum loca producimus; cum ibi obiter tantum, hic rem ex industria agimus; diversis, ut fieri solet, hominum iudiciis coniectura haec excepta est. Plures et in his omnes *χαριέστεροι* et honestiores assentire et plaudere; Graevius praecipue *ὁ μακαρίτης*, et natura et diuturno usu iudex accerrimus, ut quantivis eam pretii sodalibus laudare: literis ad me datis IV Non. Dec. MDCCII, *non coniecturam* dicere, *sed certam emendationem; quam qui videat et non probet, eum in his rebus coeciorem esse quavis talpa.* Recte iam natura comparatum est, ut in re literaria semper vilis annona sit istiusmodi talparum; qui doctis atque oculatioribus et oblectamento sint, et comparatione pretium famamque augeant: *In his Gronovius nomen profitetur suum*, qui Notis ad A. Gellium N. A. IX, 8, contra hanc emendationem cornicari aliquid voluit: quodque iam a decennio consueverat, contumeliosis me verbis accipere. Videamus, an forte per obscurae et faeculentae orationis nebulas, quid demum sibi velit, perspicere valeamus. Ergo id primum velle dicere videtur (nam de mente eius hario-

Quin sine rivali teque et tua solus amares.

landum est) perperam a nobis fundamenti loco positum, *Res plane diversas esse Tornum et Incudem:* quippe eiusdem officinae utrumque instrumentum esse; torni usum esse in ferro et ceteris metallis; et ferramenta, quae sub torno male processerunt, ad incudem denuo revocari solere. Sane in hoc et alios se multo sagaciores secum habet sentientes. Dacierius quidem hoc evicisse sibi visus est ex Strabonis loco sub finem libri XIII. *Ἴδιον δ' ἐστὶ Κιβύρᾳ τὸ τὸν σίδηρον τορεύεσθαι ῥαδίως. Id Cibyra habet peculiare, quod ferrum facile apud eos tornatur.* Ita versio Latina, quae vulgo circumfertur, Strabonis. Nimirum evellendus est ex animis hominum communis ille error, qui Lexica omnia tam vetera quam recentia occupavit, quique et mihi ipse dum scribo et mentem forte aliis intentam habeo, cum res ista non-agatur, semel iterumve subrepsit. Omnes enim a prima adolescentia falso docemur, *τορεύειν* Latine esse *tornare*, atque idem esse quod *τορνεύειν:* cum tamen certissimum sit, *τορεύειν* apud Graecos nusquam aliud significare, quam *caelare*, *sculpere:* inde *Toreutae* et *Toreutice* Plinio: *Toreumata* Ciceroni et Martiali: Clemens Stromat. I. *ὁ τῶν ἐν ταῖς σφραγῖσιν ἐκτυπώμασιν τορευτικός: τορνεύειν* contra, nihil aliud esse, quam *tornare*, *rotundare*. Quod ita fuse eruditeque ostendit Salmasius in Plinianis, ut vix quidquam addi possit, atque eo lectorem remittimus. Ergo locus ille Strabonis sic erat vertendus: *Quod ferrum facile apud eos caelatur*. Neque vero vel unus apud veteres Scriptores locus exstat, quo *Τόρνος* vel *Tornus* metallis elaborandis adhibetur: sed *lignis* tantum et *lapidibus*, *ebori*, *vitro* cet.: idque sola *rotundatione* vel circulari sculptura. Auctor Etymologici Magni: *Διωτοῖσι λίθεσσι, τετορνευμένους, τορευτοῖς ἢ στρογγύλοις. δῖνος γὰρ ὁ τόρνος.* Appuleius de Mundo: *Ut in tornando artifex solet forcipe materiam comprehensam reciproco volumine rotundare.* Plinius Hist. XVI, 40. *Therebintha solitus facere torno.* XIII, 9. *Lignum* (Cuci) *firmae duritiae, ex quo velares detornant anulos.* XI, 39. *Hippopotami corii crassitudo, ut inde tornentur hastae.* XXXVI, 13. *Turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur columnae.* Ibidem 18. *Albos lapides torno duriores, quam Parios.* Et 22. *In Siphno lapis est, qui cavatur tornaturque in vasa coquendis cibis utilia.* Et 26. *Vitrum aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur.* Virgil. Georg. II. *Nec tiliae leves et torno rasile buxum.* Idem Ecl. III, de poculis faginis: *Lenta quibus torno facili superaddita vitis: Diffusos edera vestit pallente corymbos.* Quem locum egregie explicabat idem Salmasius: *superaddita facili torno*, casu dativo: hoc est, ligno prius torni ope

Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,

excavato, vitis et edera caeli arte superaddebantur. Frustra sunt, qui aliam interpretationem hic quaerunt. Quid ergo? Num aut lignea vitreave pocula, aut columnae lapideae, aut hastae coriaceae incudibus parabantur? An iam tandem sentire incipis, *diversas plane esse res, Tornum* et *Incudem?* Nam suavis sane est Dacierius; qui ideo *tornum* ad incudem et folles pertinere contendit, quod Propertius loco dicto *Tornum* et *Ignes* coniungit, *Desine Achilleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles membra resolve choros. Incipe iam angusto versus includere torno: Inque tuos ignes, dure poeta, veni.* Ubi *in tuos ignes veni* interpretatur *Remitte tuos versus in fornacem, ut molliores inde exeant.* Obstupebam equidem, cum haec primum legerem. Quis enim nescit *ignes* perinde esse ac *Amores*, notissima poetis figura, ut *Meus ignis Amyntas.* Praecipit igitur Lynceo, poetae Epico, qui in amorem nuper inciderat, ut, relicto heroico et grandi carmine, *choros* et *amores* angustis Elegis scribat. Quid hoc facit ad *fornacem?* Immo vero, ut concedamus illis, et *tornum* fabricando ferro olim inserviisse, et *τορνεύειν tornare* idem esse nonnunquam ac *τορεύειν caelare, sculpere;* quorum illud inauditum est, hoc falsum: nunquam tamen efficient, rectum probumque esse, quod in Flacco nunc habemus, *Male tornatos incudi reddendos esse.* Nam si id accipiunt *Ferrum tornari solitum:* at nunquam usu venire potest, ut ferrum tornatum ad incudem revocandum sit. Quippe *tornus facilis* est, ut iam apud Virgilium habuimus, instrumentum omnium certissimum, quod ipsius turbinis ratione semper paret artifici, nulli errori obnoxium. Nunquam igitur a torno et turbinibus ad incudem reverti opus erat; ut vel fabrorum pueris risum deberet Noster, si ex eorum officina tam prave et imperite similitudinem traheret. Quodsi alterum iam malunt, ut *tornatus* idem fuerit ac *sculptus, caelatus:* pari vel maiore potius incommodo mactabuntur. Ain' tu? Tune praeceperis Polycleto aut Pyrgoteli vel Myroni aut Mentori ut, si quid iis sub manu non ad votum successerit, incudi redderetur? Quid, malum, sculptoribus cum incude? quorum opus materiam licet carissimam longo intervallo superabat. At si opus, inquis, male cesserit, quidni incudi materia reddatur? Gemmamne reddis aut argentum incudi? imo ferrum vel aes. Quantum vero lucellum in tantula aeris materia? Qua tam inepta parsimonia, quae exiguum sigillum vel annulum denuo conflaverit? In tenui illis labor erat: et infelicissimus omnium artifex fuerit, cui vel aberrantis manus tam incassum ceciderit opus, ut nihil prorsus nudae materiae pretii accederet. Stultus itaque sit, qui sculptorem sibi parum satisfacientem ad folles et incudem ire iubeat; praesertim cum ea domi in-

Culpabit duros, incomptis allinet atrum

strumenta non habeat, utpote alterius artis et officinae. Ergo, ut omnia illis dederimus, nihil tamen rei erit seu *torno* sive *caelo* et *γλυφάνῳ* cum *incude*. Satis, opinor, liberales fecimus; ut tamen plus eis largiamur, esto ut opus aliquod tornatum revocari queat ad incudem: multum tamen aberit, ut defendi queat totum illud *Et male tornatos incudi reddere versus*. Illud enim a me accipe, et in imum pectus demitte. Quamquam in ipsis operibus fabrilibus et *infabre sculptum* et *durius fusum* et *neglegentius limatum* et contra *ἐῦξεστον* et *ἐϋσμίλωτον* saepe memorantur; fore tamen omnium absurdissimum, *ἀσύστατον* plane et secum pugnans, si quis in metaphoris a fabrili arte petitis *male tornatos* sive *male limatos* versus appellet, quos *incultos* et *male factos* significare velit. Quippe omnia illa per eandem similitudinem huc tracta, *tornatus*, *limatus*, *politus*, *rasus*, habent in se notionem perfecti absoluti, suis partibus ac numeris expleti: adeo et *male tornatus* dicere, perinde fuerit, ac *male bonus*, *mutile perfectus*. Atque inde est, quod non modo non *male tornatus*, *male limatus* (*πολλοῦ γε καὶ δεῖ*), sed ne *bene* quidem *tornatus*, *bene limatus* *μεταφορικῶς* dictum apud quemquam scriptorem invenias; quippe et hoc aeque putidum et otiosum foret, ac *bene absolutus*. Et idcirco in locis superius citatis, *τὸ τορευτὸν ἔπος*, *γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς λόγοις* cet. ipsum aliud per se *τορευτὸν* virtutem operis satis designabat, absque *τῷ Εὖ* vel *τῷ Καλῶς*, vel ullo alio adverbio. Sic et, ubi *lima* vel *limatus* in hac translatione occurrit; nudum id et solum sine ope adverbii perfectionem indicat. Noster supra vs. 291. *si non offenderet unum Quemque poetarum limae labor et mora.* Et Serm. I, x, 65. de Lucilio: *fuerit limatior idem, Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor.* Ovidius Pont. I, v. *Scilicet incipiam lima mordacius uti; Et sub iudicium singula verba vocem.* II, 4. *Utque meus lima rasus liber esset amici.* IV, 6. *Quae tibi tam tenui cura limantur.* I, 5. *Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?* Martial. V, 82. *Quem censoria cum meo Severo Docti lima momorderit Secundi.* X, 2. *Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti.* VI, 64. *Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenae.* Persius Sat. I, 85. *Fur es, ait Pedio, Pedius quid? crimina rasis Librat in antithetis.* Gellius XIX, 9. *Versus, quibus mundius, venustius, limatius, tersius, Graecum Latinumve nihil quidquam reperire puto.* Verum omnium maxime metaphoris hisce delectatus est Cicero, apud quem passim habes, *Limatus oratione, limatulum iudicium, Limatum dicendi genus, Perpolita, polita, expolita oratio;* et alia id genus *ὅση κόνις*. Sic et Graecis in hac translatione *κατερρίνημένα, ἀπεξεσμένα, ἀπεσμιλευμένα*, ipsa per se excellentiam significant. Aristoph. Ranis de Euripide 930. *Τὸν μὲν ἀστεῖόν τι λέγειν καὶ κατερρινημένον, festivum quid et limatum.* Synesius in Dione: *καὶ τὸ λέγειν καθῃρῆσθαί τε καὶ ἀποσμιλεῦσαι, dictionem purgare et scalpro polire.* Dioscorides Epigr. in Aeschylum: *Αἰσχύλος ἐξύψωσε, νεοσμίλευτα χαράξας Γράμματα.* Sic olim recte emendavimus *νεοσμίλευτα*, *nove sculpta verba.* Quin et similiter a fabris lignariis accepta, sed traducta alio verba *edolatus*, *exasciatus* nativam potestatem ubique servant, neque usquam *τὸ bene* aut *male* sibi assumunt. Plautus Asin. II, 2. *Iam hoc opus est exasciatum.* Cicero ad Attic. XIII, 47. *Ea quae in manibus habebam, abieci; quod iusseras, edolavi.* Varro Bimargo, apud Nonium. *Quum Quintipor Clodianus tot Comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius?* Denique in ejusmodi Metaphoris a quavis re sumtis et translatis, *enucleatus*, *defaecatus* cet. ut Cicero saepe, *Acre*, *acutum*, *enucleatum; Enucleate et polite; Eleganter enucleateque; Subtiliter*, *presse*, *enucleate.* Plautus quoque, ut Aulul. I, 2. *Nunc defaecato demum animo egredior domo:* in his, inquam, omnibus, *τὸ bene* per se inest, neque opus est adverbiis, quibus *εὖ* illud indicetur: nedum ut usquam gentium fuerit quis, qui *male enucleatus*, *male defaecatus*, *male adolatus* dixerit. Usus enim sensusque repugnant, neque talem loquendi sartaginem verborumque chaos patiuntur, ut contraria prorsus inter se, *Frigida iungantur calidis*, *humentia siccis.* Sentis itaque iam tandem, aut nihil sentis, huiusmodi verba non esse *τῶν μέσων*, ut grammatici vocant, quae in utramvis partem seu bonam sive malam flecti possint: et ut nimius putidusque fuerit, qui *bene tornatum versum* diceret, ita stultum plane ac dementem fore, qui *male tornatum*. Facessat igitur hoc, unde malum pedem promoverat; et revocemus tandem lectionem, solam utique Horatio dignam, *Et male ter natos incudi reddere versus.* Contenti enim erimus *incude* ex offina fabrili petita, sine bello illo emblemate *tornatos*. Sic et Ovidius Trist. I, 7. *Ablatum mediis opus est incudibus illud: Defuit et scriptis ultima lima meis.* Sidonius Apollin. IX, 13. *Praeter hoc poscis, ut Horatiana incude formatos Asclepiadeos tibi quospiam, quibus inter bibendum pronuntiandis exerceare, transmittam.* Et IV, 1. *Cuius philosophica incude formatus, nunc varias nobis rerum sermonumque rationes, ipso etiam, qui docuerat, probante, pandebas.* Ubi nota sodes illud *formatos* et *formatus*. Idem verbum habet Acron ad locum: » *Ferramentum male ductum redditur incudi, et bene ibi formatur.*" Et Porphyrion: » *Incudi reddere;* hoc est, Denuo versus scribere, quomodo ferramentum male

Transverso calamo signum, ambitiosa recidet

Ornamenta, parum claris lucem dare coget,

formatum incudi redditur, ut ibi reformetur." Et vetus annotator in Graevii Codice: »Tractum est a fabris, qui ferramentum non bene formatum iterum incudi committunt." Hinc iam tibi facillimam correctionem promam: quam mirabor equidem, si Gronovius et Gronoviani nostrae illi non anteferant, *Et male formatos incudi reddere versus.* Auscultabimus quid sentiant mussitentque pone tabulam latentes; et si similes ament labra lactucas, non invidebimus. Interea delectat nos homo comis et facetus, qui, quod ipse in prosa explicatione, non *male ter natos*, sed *ter male natos* usurpaveram, a me petitum telum in me torquet; negatque secundum Latinorum et Flacci ipsius morem τὸ *male* a participio, verbo, adiectivo suo vel in versu posse seiungi; et idcirco inter *male* et *natos* male interponi *ter:* cum Flaccus alibi *male dispari*, *male ominatis*, *male pertinaci*, *male feriatos* et alia iunctim ubique proferat. Numquam profecto, nisi hoc monitore, tam ridiculo argumento sponte occurreram: itaque eo nomine me demeretur, quia nescio an alios lectores habeam nihilo nasutiores. Ain' igitur, τὸ *male* non posse a verbo, cui sensu cohaeret, versu separari? Quid ergo illud Serm. II, 3. *Eam male re gesta cum veltem mittere?* et II, 1. *Cui male si palpere, recalcitret?* Quid et illud Carm. III, 27. *Pendulum zona bene te secuta elidere collum?* et IV, 12. *Quod male barbaras Regum est ulta libidines?* Et ne hoc ultimum tu *male barbarus* cavilleris, quid illud Nasonis Amor. II, 1. *Cum male se tellus ulta est, ingestaque Olympo?* Et iterum Arte II. *Et male peccantem Tyndaris ulta virum?* Sic hi scriptores aliique, singulis fere paginis. Pudet quidem talibus immorari: sed quid facias? Ut adversarii sunt, ita morem geras, et infra te nonnunquam descendas necesse est. Idem iterum in suo Gellio IV, 11. sugillare me voluit, quod in Callimachi versu, *Καὶ κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἀνίωντον ἔδεσθαι.* reposui *ἀβίωτά τ' ἔδεσθαι. Quae*, inquit, *vel exigua, propinquitas est inter ἀβίωτά τ'* et *ἀνίωντον? Si scribas ἄπνευστον, videre potes viciniam literarum.* Ita semper literas apicesque crepat: has pensando et comparando correctiones venatur, sententiae interim securus ignarusque: velut hic, cum *ἄπνευστον* substituit, et eo pacto *pisces*, qui *ἄπνευστοι* sunt, Pythagoreis comedendos stolide apponit. Sed ain' vero serio, *ἄπνευστον* tuum receptae lectioni vicinius esse, quam illud nostrum? *ΠΝΕΥΣ* prope accedere ad *ΝΙΩΝ?* os durum. Sed mitto hoc; et ad illud potius, quod in proximo est, IX, 5, oculos converto; ubi in coelum laudibus effert *viri maximi Pearsoni* coniecturam; (ipsum quidem iure merito, coniecturam vero *renuit negitatque Sabellus*) quod Hieroclis Stoici rotundum et tornatum in Epicureos dictum sic refin-

Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;

xerit, *Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα. οὐκ ἐστὶ πρόνοια οὐδέν, πόρνης δόγμα*, (*Voluptas summum bonum, meretricis dogma, non est providentia nihil, meretricis dogma*) cum antea pro *πρόνοια* inepte haberetur *πορνεία.* Atqui scias, o Zenodote, iam ab annis tredecim in scripto Anglico verius haec concinniusque a me emendata esse. Nam ut scabiem dictionis condonem, *οὐκ ἐστὶ πρόνοια οὐδέν;* cum passim *οὐκ εἶναι πρόνοιαν* Epicureorum dogma veniat, neque caudam trahat *οὐδέν:* falsum omnino est meretrices providentiam tollere; cum in omnibus Comoediis Veneri ceterisque Deis, pariter ut matronae solent, vota et rem divinam faciant. Quid quod in tota hac, vel ut nunc corrigitur, sententia nihil argutum, nihil acre sit; ut *in ore eam atque lingua* semper haberet philosophus Taurus. Quid multis opus, tu, si capis, mecum corrige; et, ut soles, literarum viciniam contemplare: *Ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα. οὐκ ἐστὶ πρόνοια, οὐδὲ πόρνης δόγμα. Voluptas summum bonum, meretricis dogma: Non est providentia, ne meretricis quidem dogma.* Nimirum bis simul Epicureorum decreta bellissime confodit; illud meretrice dignum esse, hoc vel infra meretricem esse. Sentis iam aculeum? Confiteberis hoc rite excogitatum? an perges, uti coepisti, quaecunque mea sunt, rodere, limamque miser, ut in fabula est, sibilante quidem lingua, sed et dolente lambere? Pergat vero, si volet, et, quod ultimum invidiae et telum et perfugium est, plagiarium me insimulet, ut et Heroa *τὸν μακαρίτην* Ezechielem Spanhemium. Et fas quidem hic esset indignari; nisi iam utrique nostrum satis supplicii dedisset. Nam quod rursus novo libello me oblique impetivit, et ut alter nescio quis; uterque sane operam et oleum perdiderunt: nondum enim eorum ictus tanti facio, ut iterum a me vapulent. *Multo maioris mecum colaphi veneunt.* Praesertim cum eos corio esse videam supra omnes Comicos servos crasso et ad plagas exercitato; sicut ab ipsis flagris animos ducere videantur, et ferociores mox prodeant. Adeo aut nihil sentiunt, aut, quod haud minor est virtus, nihil sentire prae se ferunt. Hos igitur mittam, et terminum hic statuam. Fusius quidem prolixiusque hanc annotationem deduximus: cum, quia primum hoc specimen et quasi pignus nostrarum in Flaccum emendationum accuratius mihi tuendum erat: tum, ut vel hinc sciant, si qui in his nostris examinandis ingenii aleam subibunt, adhuc plures nobis sagittas, *κατὰ τὸν Πίνδαρον*, in pharetra superesse, quibus recte dicta, si usus ferat, defendere valeamus: quae cum prava invenientur, ut peccare sane et hominis est et praesertim aliud saepe agentis, ea primus ipse proiicio, cuilibetque impune redarguenda vel rodenda destituo. BENTLEIVS.

Fiet Aristarchus; nec dicet, cur ego amicum

Nihil in hoc genere Critico emendatione ista Bentleiana est nobilius, nec ullam facile invenias, de qua in utramque partem plura ab hominibus eruditis disputata sunt. Longe interea maior est numerus reiicientium, quam laudantium. Wyttenbachius etiam reiiciebat. Et ego, si quis quaerat, reiicio. Argumenta haec sunt. Versus *male tornati* sunt per *tornum*. Accepere figuram rotundam, sed non perfecte rotundam. Ea forma corrupta per tornum non facile corrigitur, sed in massam redire debet. Ut ferrum redeat in massam, *diffingendum* est: ut diffingatur, reddendum incudi, unde ad tornum prodiit. Tornus non potest *diffingere*. Ita ex incude redit ad tornum. *Bene* et *male tornatus* omnino recte dicitur. *Perfectum absolutum* in nullo artificio cernitur. Aliud alio magis ad perfectionem accedit, ipsam perfectionem nullum habet, si vere iudicemus et res ad vivum resecemus. Quod *omnibus numeris perfectum et absolutum* appellatur ab hoc, culpatur interdum in particula aliqua ab illo. Nec quod per tornum formatur, propter id ipsum est perfectum. Vacillat interdum manus artificis, vel instrumentum deficit. Si tornus nulli errori esset obnoxius, nulla hic conspiceretur ars, et vel quivis rusticus puer faceret opera excellentissima. Ipsum adiectivum εὔτορνος, sive sit *tornatu facilis*, sive *bene tornatus*, *teres et rotundus*, discrimen ostendit. Par ratio est in εὖξεστος, et Latinis *limatus*, *politus*, *expolitus*, quae, si haberent notionem *perfecti absoluti*, gradus comparationis non admitterent: at dicimus *limatus politius*, *ars politissima*, *res expolitissimae:* ergo et sunt simpliciter *limatae*, *politae*, *expolitae*, minus quam *politiores* et *politissimae*. Iam videamus emendationem Bentleii. Lege, inquit, *Et male ter natos incudi reddere versus*. Versus et opera quin recte et exquisite dicantur *nata* manu auctoris, non dubitamus. Novimus dictum Epaminondae apud Nepotem 10. *Ex me natam relinquo pugnam Leuctricam*. Ovidius Trist. III, XIV, 14. *Palladis exemplo, de me sine matre creata Carmina sunt. Stirps haec progeniesque mea est.* Suetonius Neron. 52. *versus quasi a cogitante atque generante exaratos.* Statius Silv. V, I, 6. *Ut vel Apollineo vultus signata colore, Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti.* Claudianus de Cons. Mallii 115. *nascentes ibant in saecula libri.* Sed, ut homo *semel*, nunquam *bis*, *ter*, nascitur, ita et *versus*. Idem, inquam, versus *semel* nascitur. Potest corrigi, mutari, *ter*, decies, centies: ita correctus videtur alius, tamen est idem ille primum natus. Si totus mutatur, non idem nascitur *tertium*, sed novus nascitur: vetus ille mortuus est. Bentleius, credo, voluit *versum* bis terque emendatum. Tum, ni fallor, versus iste non *ter*, sed *quater*, esset natus. Piso composuit v. c. hunc versum: *Omne supervacuum pleno de pectore manat.* Iam versus natus est *primum*. Bis emendavit: natus est *tertium*. Ter emendavit: natus est *quartum*. Ergo dicendum erat *quater natos incudi reddere versus*. Si quid in Horatio mutandum esse videatur, praeferam *male formatos*, sicuti volebant Menagius ad Malherb. pag. 455, Heinsius, Guietus, alii. Idque probabat Hemsterhusius exemplo Diomedis in Arte Gramm. pag. 273. *Sub incude literaria dociliter producendo* (procudendo) *formatum*. Prudentius contra Symmach. I, 102. *Ecce Deum in numero formatus et aeneus adstat Graius homo*. Ubi Heinsius volebat *tornatus*.

Si defendere delictum, quam vertere malles. Veteres Scholiastae interpretantur *mutare*. Sed bis et ter expertus erat mutare in melius. Frustra. Nulla enim mutatio Quintilio satisfaciebat. Igitur iubebat delere. Si poeta malum versum mallet defendere, quam — Hic vides requiri — quam *cedere*, *concedere* Quintilio, facere quod Quintilius suadebat, si versum vel sic vellet servare, non delere. Locus *vertendi*, *mutandi* non amplius relinquebatur. Quare scribendum est, vel, *Si defendere delictum, quam cedere malles;* vel, quod uni auditorum meorum, Utenhovio, in mentem veniebat: *Si defendere delictum, quam perdere malles.* Poetas interdum versus quosdam, minus elegantes ita amare legimus, ut in damnum referant, si delcantur, et se *perdere* putent, quod revera sit lucrum. Tale est illud hominis iocosi, qui *amicum perdere malebat quam dictum*. Verbum *cedere* erat in MSS. apud Feam: et recte opponitur *defendenti*.

Quin sine rivali teque et tua solus amares. Saepe animadverti, nec meliores, puto, interpretes effugit, Horatium scripta Ciceronis diligenter legisse. Veluti urbanus hic iocus etiam apud Ciceronem invenitur in Epistola ad Atticum VI, 3. *Huius nebulonis obiratione si Brutus moveri potest, licebit cum solus ames; me aemulum non habebis.* Atque hinc, si argumentum requireretur, veritas vulgatae scripturae confirmari posset contra alteram *semper amares*, quae in nonnullis apparet Codicibus.

Nec dicet, cur ego amicum Offendam in nugis. Nec dicet propagatum est huc usque ex editionibus priscis. At codices scripti, ut apud Pulmannum Bersmannumque videre est, ex nostris certe decem ut in his omnes vetustiores: *Fiet Aristarchus: non dicat, cur ego amicum Offendam in nugis.* Quod, si aures consules, plenius fortiusque exit; quin et sententiae quoque ponderis nonnihil gravitatisque addit. BENTLEIVS.

Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.

Ut, mala quem scabies aut morbus regius urguet,
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.

Ut, mala quem scabies aut morbus regius urguet. Quum proxime antecedat *in mala derisum*, sequi non debet *ut mala quem scabies.* Horatius tantam negligentiam committere non potuit. In promtu erant alia epitheta, v. c. *Ut fera quem scabies*, sicuti Celsus *scabiem feram* memorat, et Graeci appellant ἄγρια ulcera, quae mitigari non possunt. Sed supererant multae aliae rationes versus sine odiosa repetitione absolvendi. Librario deberi puto, oculos figenti in versum praecedentem, dum scribere incepturus erat hunc. Semel autem scriptum *mala scabies* non delebatur, ne MS. lituris inquinaretur. Horatius scribere potuit: *Ut, quem olim scabies aut morbus regius urguet.* OLIM et MALA praeterea habent similes literarum ductus, si transponas. Hoc corruptelae occasionem magis paratam dare solet. Illud *olim* solemne est adverbium in comparationibus. Nihil frequentius in Virgilio. Ita Aeneid. VIII, 391. *Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.* Ibi Servius annotavit: *Fere, ut solet.*

Agitant pueri incautique sequuntur. Incauti non sunt alii quam iidem *pueri.* Ergo *incauti* sequuntur, pro *incauto* sequuntur. Sed *agitant* et *sequuntur* non bene coniungi arbitror. *Agitant* longe vehementius est quam *sequuntur.* Et qui insanum *agitat*, is, ni sequatur, agitare non potest. Cogita Orestem a Furiis *agitatum.* Nemo diceret: Furiae Orestem *agitant et sequuntur.* Cicero in Verrem IV, 66. *Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant: qui illic eiusmodi est, ut eum pueri sectentur: ut omnes, cum loqui coeperit, irrideant.* Hic Cicero nunquam posuisset *agitant et sectentur:* quia *sectentur* natura prius est. Alterum utrum verbum sufficit. Si duobus utare, servandus est climax. Pro INCAVTIQVE, Horatium scripsisse coniicio INNVPTAEQUE. *Agitant pueri innuptaeque sequuntur.* Quidquid in publico conspicitur mirum et inusitatum, hoc curiosa non tantum puerorum petulantium, sed etiam saepe aliorum inprimisque mulierum studia commovet. Horatius amat adumbrare Virgilium. Virgilius Aeneid. II, 238. *Pueri circum innuptaeque puellae Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.* Horat. Serm. I, IV, 38. *Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes Gestiat a furno redeuntes scire lacuque Et pueros et anus.* Pulchre autem et vere *pueris* tribuitur *agitare*, ferocioribus quippe; *innuptis* contra *sequi*, quia sunt timidiores.

Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve; licet, succurrite, longum
Clamet, Io cives! non sit qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre et demittere funem,

Hic, dum sublimis versus ructatur. Servius ad Aeneid. III, 576. » *Ructo, ructas* tantum fecit: sic etiam Cicero II. Catil. 5. *Eructant sermonibus suis caedem bonorum.* Virgil. VI. Aeneid. 297. *Atque omnem Cocyto eructat arenam.* Horat. Art. Poet. 457. *Hic dum sublimes versus ructatur.*" Ubi legendum: » *Eructo, eructas* tantum facit; sed *ructo* etiam *ructatur.* Cicero sq." Tum » *Ructatur* Horatius" sq. Adde Porphyrionem: » *Ructatur* pro *ructat.* Antiqui enim et *ructo* et *ructor* dixerunt. Hic genere patiendi extulit, ut *venatur, levatur.*" Hoc non cogitantes librarii nonnulli, emendavere *versus eructat.* Pro *sublimis*, in nonnullis *sublimes.* Burmannus ad l. l. Servii non recte tuetur *sublimes*, quia, si scribis *sublimis*, dubium foret, utrum nominativo an accusativo casu esset accipiendum. Sed sententia unice postulat nominativum. Poeta *sublimis*, capite in coelum erecto, versus ructatur. Ita *sublimis rapior*, et similia; quod ipse Burm. ad Ovidii Heroid. IX, 132 attigit. Graece appellatur μετέωρος. Suetonius in Claudio cap. 4. *Qui vellem diligentius, et minus* μετέωρος, *deligeret sibi aliquem, cuius motum et habitum et incessum imitaretur mi-sellus.* Philostratus Heroic. pag. 280, ed. Boissonadii. Wyttenbachius ista exempla annotaverat.

Si veluti merulis intentus decidit auceps. In MS. Vlamingii *decipit auceps.* Librario nimirum in mente haerebat versus notus ex libello, quem iam in Scholis memoriae mandaverat: *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.* Legitur in Catonis Distichis I, 27.

Si quis curet opem ferre. Nescio quis fuerit, qui primus contra veterum editionum omniumque Codicum fidem lectionem hanc induxit. Lege, ut illi iubent, nostri certe omnes, et Bersmanni Pulmannique, ut de reliquis coniectare possis: *non sit, qui tollere curet, Si curet quis opem ferre et demittere funem.* Eandem tmesin alibi habet Noster, Serm. I, IV, 110. *magnum documentum, ne patriam rem Perdere quis velit.* et I, VI, 85. *Nec timuit sibi ne vitio quis verteret.* II, VIII, 90. *Quam si cum lumbis quis edit.* Ceterum, cum ad scansionem hic nihil intersit, ad suavitatem tamen et varietatem non nihil refert. Si quidem hac lectione prius *cúret* accentum in prima habet, posterius curét in secunda. Sed in vulgata, priorem utrobique syllabam

Quî scis, an prudens huc se proiecerit, atque
Servari nolit? dicam: Siculique poetae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit ius liceatque perire poetis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, iam

occupat accentus; quod evitare voluit Noster. BENTLEIVS.

Carolus Fea ex duobus MSS. notavit *Si quis curet opem ferre.* Perpetua est, quod iam aliquoties indicavimus, in hac Epistola vocabulorum transpositio, inprimis tunc, quum librarii se suaviorem versuum modulationem efficere arbitrabantur. In MS. Brenckmanniano etiam legitur *quis opem ferre*, ut praeterea *curat* pro *curet*.

Demittere funem. Duo MSS. D'Orvilliana *summittere*.

Quî scis, an prudens huc se deiecerit. Sic editiones principes Loscheri et Venetae: unde omnes posteriores haec lectio perambulavit. Atqui et multo plures Codices, et omnes paullo vetustiores habent: *Si curet quis opem ferre et demittere funem: Quî scis an prudens huc se proiecerit, atque Servari nolit? dicam. Deiecerit* hic interpolarunt, quia de *puteo foveave* agitur. Atqui et *proiicere* illic usurpatur, ubi per pronum vel in praeceps quis decidit. Ita Virgilius V, 859. Somnus Palinurum, *cum puppis parte revulsa, Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas Praecipitem, ac socios nequidquam saepe vocantem.* Noster Epist. I, xx, 15. *Qui male parentem in rupes protrusit asellum.* Ubi eodem errore irretiti primi editores Veneti et Loscherus *detrusit* supposuerunt. Iam autem, ideo hic praeferendum *proiecerit;* quia *proiicere animam, proiicere se*, quae in bonis scriptoribus crebro occurrunt, ubique habent significationem *voluntarii discriminis*, deque eo dicuntur, qui *servari* aut *nolit* aut *desperet*. Loco itaque et sententiae hoc aptius est, quam *deiecerit*. Quin et illud in tam culto poemate non est nihili faciendum; quod in recepta lectione *démittere funem, déiecerit atque*, duobus versibus continuis eadem syllaba *de* eandem metri sedem et stationem occupat. Qui naevus hic, ubi omnia nitent, curiosis oculis deprehenditur, quamvis alibi fortassis inter plures eiusmodi maculas facile latere possit. BENTLEIVS.

Ardentem frigidus Aetnam Insiluit. Auctor ad Herennium IV, 15, affert exemplum figurae, quam *contentionem* vocat, cum ex contrariis verbis aut rebus oratio conficitur: *In re frigidissima cales, in ferventissima friges.*

Fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet cur versus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus. Certe furit: ac, velut ursus,
Obiectos caveae valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:

Ponet famosae mortis amorem. Codex Zulichem. *honorem*. Hic autem cessat haec Epistola in editione Florentina a. 1550. Fortasse versus sequentes homini pio displicebant: *Minxerit in patrios cineres, an triste bidental Moverit incestus.*

Nec satis apparet, cur versus factitet. In quibusdam MSS. *versus cum factitet*, in antiquis editionibus *cum versus factitet*. Atque idem expressum est in editione Veneta a. 1477. Sic autem interpungendum erat: *Nec satis apparet, cum versus factitet, utrum Minxerit in patrios cineres, an triste bidental Moverit incestus.* Pro *factitet*, nonnulli Codices habent *dictitet:* quod fere exquisitius videri posset, quam ut librariis deberetur, nisi sciremus significationem, qua *dictare* pro *scribere* ponitur, esse recentiorem aetate Horatii. Gesnerus ad Quintiliani Instit. Orat. X, 1, pulchre huius significationis originem ostendit. Adde Burmann. ad Anthol. Latinam T. I, pag. 134.

Ac, velut ursus, Obiectos caveae valuit si frangere clathros. In MS. Brenckmanni *Et velut ursus.* Pro *clathros* in duobus MSS. D'Orvill. *claustros*. Romani autem variis de caussis habebant ursos, etiam qui in circo contra damnatos ex caveis emittebantur. Longinus de Sublim. § 44. ἐπεί τοι γε ἀφεθεῖσαι τὸ σύνολον, ὡς ἐξ εἱρκτῆς ἄφετοι, κατὰ τῶν πλησίον αἱ πλεονεξίαι. Ubi pro ἄφετοι scribendum puto ἄρκτοι. Eodem pertinet locus Auctoris ad Herennium IV, 39. *Quod si istum, iudices, vestris sententiis liberaveritis, statim, sicut e cavea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis, volitabit et vagabitur in foro, acuens dentes multos in cuiusque fortunas, in omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans.* Ubi illud *multos dentes*, quamquam nonnulli fortasse explicaturi sint Graeco more, sicuti Callim. H. in Dianam vs. 27. πολλὰς δὲ μάνην ἐτανύσσατο χεῖρας, mutandum censeo in *fulmineos dentes*. Nam ea oratio habet aliquid inflati et poetici. Est autem poeticum *dens fulmineus:* Phaedrus Fab. I, 21. *Aper fulmineis ad eum venit dentibus.* Ovidius X Metam. 550. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.*

Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. Aliquem legendo *occidere* est nota dicendi formula de iis, qui alicui triste ac fere letale fastidium pariunt: Graeci sic usurpant ἀποκτεῖναι, ἀπωλέσαι, ἀποκναίειν, ἀποπνίγειν. Illustraverunt exemplis viri docti ad Horatii Epod. XIV. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 278, et Pierson. ad Moerid. Atticistam pag. 73. Et tamen non credo Horatium hic scripsisse *occidit legendo*. Tota metaphora ab hirudine est desumta. Quum dixerat *arripuit* et *tenet*, iam cogitat *hirudinem*. Nam haec propria sunt naturae animalculi vocabula. In fine ipsam *hirudinem* nominat. Sed *hirudo* neminem *occidit*. Igitur illud *occidit* metaphoram modo ingrato abrumpit. Quanto melius pro OCCIDIT scribetur EXSVGIT? *Quem vero arripuit, tenet exsugitque legendo, Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.* Sic metaphora et apte et rotunde cohaeret. Theocrit. Eidyll. II, 55. *Αἴ αἴ Ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἔμφυς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;* ubi Scholiasta ἐμφὺς interpretatur κατασχών. Plautus Poenul. III, II, 37. *Iam nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul.* Epidico II, II, 4. *iam ego me convertam in hirudinem, Atque eorum exsugebo sanguinem.* Pro *arripuit*, in duobus apud Feam Codicibus *arripiet:* pro *occiditque*, in editione Veneta a. 1478 *occidetque*. Oudendorpius in MS. invenit *Quem semel arripuit;* idque probabat. Idem ego iam notatum esse video ex MS. in margine editionis Aldinae.

Absolutis his Annotationibus, quid sentiam de ordine versuum, quo hanc ad Pisones Epistolam accepimus dispositam, declarabo, deinde in novum ordinem dirigam. Sic, uti nunc legitur, ab Horatio digeri, meo quidem iudicio, non potuit. Nam praecepta Pisonibus tradita, ipsa quidem sola per se singula sunt apta et connexa, sed universa adeo perturbata, ut nullum fere inter ea appareat vinculum, et oratio magis videatur hominis, ne quid gravius dicam, inepte garrientis, quam poetae, natura, studio, usu et exemplis Graecorum formati ac paene perfecti. Longum est enarrare, quantum interpretes sudaverint, quem lapidem non moverint, ut tamen probabilem aliquam speciosamque praeceptorum seriem et unum in toto libello recte descriptum consilium deprehenderent. Sed quibus ea res optime successit, hi tantam verborum copiam verbis Horatii addere coacti sunt, ut, si opiniones metro inclusissent, iam Epistolam mille versuum haberemus, paullo quidem melius sanae rationi convenientem, sed paullo. Remanet semper poëma hominis ignorantis quid velit, qui regulas non alteram ex altera concinne deducit et derivat, sed subito et temere proiiciens, omnia sursum deorsum permiscet, et quasi epistolam ex centonibus consuit, quam vere appellare possis rudem indigestamque molem *Nec bene iunctarum discordia semina rerum.* Sed, inquit ille, hoc ipsum est Epistolae proprium. Scribis ad amicum, quasi cum eo loquare. Ordinem cogitandi et cogitata efferendi non tam anxie observamus, neque dicta regulis dialecticis alligamus. Hoc argumentum plurimi interpretes ita acceperunt, et hodie, ni fallor, omnes accipiunt, ut iam de ordine non amplius esse quaerendum censeant. Equidem haud ita censeo. Si Horatius hanc Epistolam scribere debuisset in summa festinatione, ut verbi caussa, ni uno die absolvisset, vita ageretur vel aliud esset in mora periculum ingens, excusare potuisset negligentiam, quamvis ne sic quidem tantam. Est ita: in epistola quasi praesentes cum absentibus amicis confabulamur. Sed fac Horatium de tali argumento cum Pisonibus subito sine meditatione coram fuisse confabulatum; Horatius semper partes magistri agebat, loquentis de re, quam unus omnium optime intelligebat, in qua diutissime vivens et habitans et regnans, ordinem sequi facillime potuit, quem sua ipsi doctrina et sensus monstrabant. Vel sermo Horatii extemporalis huic arenae sine calce numquam fuit similis. Vide mihi caeteras illius Epistolas. Habemus quadraginta. In omni negligentia, grata illa ac familiari, vinculum et consecutio rerum ac verborum apparent: disserit ut homo doctus et prudens, natura et arte paratus, disserere solet, et ultro disserere impellitur, nec, si velit, aliter disserere potest. Cur in caeteris Epistolis omnibus, ubi etiam maior libertas dabatur, naturalem disserendi viam ac rationem tenuisset, in Epistola ad Pisones plane deseruisset? Atqui in tali epistola ordo inprimis requirebatur. Pisones, pater et filii, erant elegantis ingenii. Alter ex filiis, maior natu, fieri cupiebat, quod ipsi natura negaverat, poeta. Pater aptiorem foro et eloquentiae videbat. Quare a poesi deterrere voluit. Horatius hac Epistola deterruit. Est ea quidem similior Satirae; et mali poetae, praesertim adolescentes, magis, ut videtur, ridicula quam severa admonitione tanguntur; sed in Satira tamen praecepta de Poesi egregia exposuit. Scripsit Epistolam rogatu Pisonis, lente et otio. Nam summa difficultas versuum bene factitandorum adolescenti prudenter erat ostendenda. Consuluit libros Graecos de arte scriptos, Aristotelis, et, quod ex Scholiastis cognovimus, Neoptolemi, *cuius praecepta in hunc librum congessit:* et, si Epistolam ipse non statim edidit, tamen in omnium manus aliquando esse venturam sciebat. Qui tandem adeo sanae mentis homini, ne dicam Horatio, hoc in eam mentem venire potuit, ut in tali caussa, iis adiumentis et exemplis instru-

ctus, Epistolam scriberet de eo, quod in natura et forma poesios verum esset et elegans, idemque in ea scriptione ipsam formam ita negligeret, ut magis videretur exemplum dedisse pessimae formae; quasi proponere voluisset, ut Graeci dicunt, *τὴν ἐκ διαστροφῆς ἐπανόρθωσιν?* Si Horatius data opera in locis maxime alienis diversa praecepta ponere voluisset, vix melius potuisset, quam ut nunc posita accepimus. Finge Horatium singula praecepta composuisse separatim, verbi eaussa, hodie praeceptum *de carmine heroico*, cras de *inepto recitatore*, tum *de cudendis novis vocabulis*, deinde *de carmine Satirico*, postea *de filio Albini assem in partes diducente:* quanti erat laboris, absoluto libro, ista praecepta disponere, sic uti ego iam disposui? Sed neque illa scribendi consuetudo in virum prudentem cadit. Hic opus intra se prius format, loca distribuit, denique verbis investit. Sic Graeci in libris didascalicis, sic Romani agebant. Sic egit Aristoteles: sic sine dubio Neoptolemus ille, cuius praecepta Horatius in hanc Epistolam, non quidem omnia, sed eminentissima, congessit. Equidem non multa de Neoptolemo cognovi, praeter ea, quae Fabricius et Harlesius in Bibliotheca Graeca annotaverunt. Sed erat poeta et grammaticus, eoque ordinis, in earminibus quoque, praesertim de Arte compositis, observantior. Iam poeta Romanus Graecum imitans, interpretabatur, hoc est, faciebat Latine loquentem, ut ille locutus fuisset, si Romanos parentes et magistros habuisset. Horatius *eminentissima* praecepta, teste Scholiasta, ex Neoptolemo congessit. Selegit igitur, et in seligendo iudicium adhibuit. Etiamsi Neoptolemus in oeconomia fuisset negligentior, Horatius esse non potuisset. Duo praestantissimi poetae recentiores multis post saeculis ad exemplum Horatii libros *de arte poetica* ediderunt, M. Hieronymus Vida, Italus, Latine, Nicolaus Boilavius de Pratis, Francus, Francice. Horatium semper et ubique ante oculos habuere, imitatione, saepe nimia, expressere, toti ab Horatio pendentes, toti Horatiani. Uterque, quod in Epistola ad Pisones pessimum est, cavit. Suus nimirum quemque sensus tacite in meliorem viam traxit: cursum, non per saxa et salebras, sed aequum tramitem direxerunt. Atque illud in Hieronymo Vida eo est notabilius, quia Itali illorum temporum optimos Romanos in modum tam servilem reddere solebant, ut ne a vitiis quidem abstinerent, sed etiam illud saepe admirarentur, quod vel esset corruptum, et deinde ex melioribus MSS. emendatum, vel quod ipsa scriptorum culpa minus esset laudandum. Atque idem decori sensus interpretes duxit eos, qui libellum Horatianum in linguas hodiernas converterunt, homines non quidem satis Latine intelligentes, sed ingenio et iudicio praeclaros, Sanadonum, Batteuxium, Gottschedum, Ramlerum, Wielandum, Vossium. Hi, quamquam verbum verbo fere reddentes, in principio novae cuiusque sententiae aliquid de suo addere coacti sunt, ut sequentia cum praecedentibus aliquo saltem vinculo connecterent. Quod igitur in versibus Latinis deerat, hoc illi interpretando supplere conati sunt. Unde satis apparet, quid de disiectis poetae membris iudicaverint. Neerlandi bonam Epistolae interpretationem non habemus. Bilderdykius non tentavit, unus omnium, qui unquam apud nos fuere, huic operi maxime idoneus. Sed si unus eorum, qui nunc sunt, versibus Neerlandis Romanum carmen redderet, is, credo, eadem difficultate impediretur, qua Franci et Germani se impeditos senserunt. Quid dicam de ingenti Commentatorum numero, qui hanc Epistolam annotationibus illustraverunt? Horum, quot sunt capita, tot fere sunt sententiae. Quod fieri neutiquam potuisset, si revera simplex et unum esset libelli consilium, et praecepta alia ex aliis apte deducerentur, atque inter principium, medium et finem ea conspiceretur necessitudo, quam ipse Horatius Pisonibus commendat. Ordinem igitur versuum, culpa, non Horatii, sed aliorum, ut puto, turbatum, restituere studui, et exemplum edidi, quale ab ipso poeta concipi potuisse arbitrabar. Nonnulli ante me vulgatum ordinem hic illic mutavere. Ego, ut plane liber et meus essem, non inspexi, nisi absoluto opere meo. Hoc certe mihi effecisse videor, ut Epistola, sic disposita, iam facillime ab omnibus intelligatur. In qua re non vereor ne paucos habiturus sim mihi assentientes: neque tamen iisdem, rogantibus, quo modo haec Epistola versibus adeo turbatis corrumpi potuerit, non habeo quod respondeam.

Epistola ad Pisones efficiebat partem Sermonum et Epistolarum, brevi postquam Horatii opera coniunctim erant edita. Romani legentes, utilitatem argumenti perspiciebant, et Epistola, iam aliis omnibus longior, separatim describebatur, et opusculum peculiare habebatur. Ex quo autem Grammatici in ludis explicabant, appellaverunt librum, sic uti erat, *Epistolam ad Pisones*, sed alterum titulum addidere *seu de Arte Poetica*. Similia, puto, exempla habemus in duplicibus titulis fabularum Graecarum, iam in Epicharmeis, in Platonis *Phaedone*, in Ciceronis *Laelio* et *Catone*, in *Taciti Dialogo*, *sive de caussis corruptae eloquentiae*, aliis. Titulus *de Arte Poetica* mansit, isque iam Quintiliani aetate vulgo ferebatur. Quia Epistola pro libro peculiari habebatur, a multis editionibus operum Horatianorum aberat. Hinc, qui postea suis editionibus addebant, alii hic, alii illic apponebant, et reperias nunc post *Epodos* et *Carmen Saeculare*, nunc mediam inter *Epistolas* et *Sermones*, nunc alibi. Huius inconstantiae documenta videmus in MSS. et primis exemplis per typographiam expressis. Sed libri veterum nusquam magis corrumpebantur quam in manibus Grammaticorum, eos in ludis et scholis interpretantium. Iam primum ita frequentius describebantur. Quo frequentius autem descripti, hoc magis corrupti prodibant. Pueri multa de Arte Poetica non intelligebant. Grammatici praecepta excerpentes faciliora primum, deinde difficiliora, explicabant, dictabant, ordinem vocabulorum ad intelligentiam celerio-

rem struebant, (unde et in nullo usquam carmine tanta est in MSS. varietas, quod ad positionem vocabulorum attinet) et, quamquam interpolatio in tali carmine esset difficilis, unum tamen alterumve versum accepimus spurium, iam obelo Bentleiano confixum. Optima Epistolae exempla, hoc est correcta, qualia fere ab ipso Horatio erant composita, intercidere: quae MSS. temporis diuturnitatem tulerunt, ea ex Scholasticis fuere confecta. Sic hodie legimus confusam praeceptorum molem, quam neque Horatius nec quisquam bonus scriptor probaret. Atque ea perturbatio valde antiqua est. Ex Scholiis enim, veterum interpretum reliquiis, iam eos, quid quodque praeceptum significaret, ubi inciperet, ubi finiretur, variis modis disputavisse apparet. Haec, quae de caussis huius corruptelae adhuc dixi, non sunt nisi coniecturae, sed, credo, non a veri similitudine abhorrentes. Si quis veri similiores invenerit, meas lubens cedam. Si contra putet, ordinem in vulgatis esse pulchrum et concinnum, et operis instar musivi summa arte consertum, ego vicissim contra putabo, et Graecum apponens versiculum *Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε*, hanc disputationem finio.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLA

AD PISONES

NOVO ORDINE DISPOSITA.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLA
AD PISONES.

Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones. Multi multa de titulis carminum Horatianorum disputaverunt. Ego quid mihi vero esse simile videatur, dicam. Duo praecipua poesios genera erant, Epicum et Dramaticum, hoc metro iambico, illud heroico. Carmina minora, non unum ac perpetuum habentia argumentum, variis composita metris, si in unum corpus edita coniungerentur, communem habebant titulum, appellabaturque illud corpus *Satura* vel *Eclogae*. *Satura* sive *Satira*, ut ostendit vir magnus Is. Casaubonus, est vocabulum Latinum, et dicitur *satura* scilicet *lanx; lanx* autem *satura* est patina, plena vario genere pomorum, unde transfertur ad mixturam aliarum rerum, *legem saturam*, *historiam per saturam*, quae Graecis est ποικίλη. Argumenta *Saturae* tot erant, quot erant singulae ac separatae partes, sive eas *carmina*, *libros*, *poematia*, sive aliud nominare velis. Auctores *Saturae* in iis carminibus vel laudabant, vel vituperabant, vel docebant, vel omnia haec simul faciebant, ut Horatius in hac ipsa ad Pisones Epistola fecit. Quia vero argumentum saepe erat hilare, iocosum, mordax, et nomen Latinum *Satura* magnam habebat literarum similitudinem nomini Graeco Σάτυροι, hinc, non ipsi Romani, qui quidem non essent indocti, sed Grammatici recentiores *Saturam* Romanam confuderunt cum *Satyris* Graecis; atque inde natus est error, quo hodie vulgo in omnibus huius Europae linguis librum vel carmen ridiculum, ubi vitia hominum destringuntur, appellant *Satyram*, quod, Latine scribentes, interdum perspicuitatis caussa imitamur. *Satura* igitur continet carmina miscella, qualia maiores nostri poetae nominabant *olus miscellum*, *mengelmoes*. Iam aeque ridiculum est, si quis contendat hoc vocabulum esse derivandum a *miscella Musa*, quam *Saturam* a *Satyris*. Convenientia Latini nominis cum Graeco, et ultima pars Neerlandi cum Latino, est fortuita. Postea Romani multa alia nomina ad declarandam rerum huiusmodi farraginem invenerunt, praesertim cum Graeca magis invalescebant. Aulus Gellius in Praefatione Noctium Atticarum nonnulla retulit. Sed *Satura* est antiquissimum, et auctoritate Ennii quasi consecratum. Ennius scripsit Epica et Dramatica.

Caetera, ni fallor, appellavit *Saturam*. Ita Horatius sua cuncta poemata, ne Lyricis quidem exceptis, appellare potuit *Saturam*. Sed ea videtur iam tum obtinuisse consuetudo, ut, si variorum carminum farrago unum haberet metrum, ea etiam nomen a metro acciperet. Res apparet ex Plinio Epist. IV, 14. » *In Hendecasyllabis iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius, atque ipsa varietate efficimus, ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant. Unum illud praedicendum videtur, cogitare me has nugas meas inscribere* Hendecasyllabi, *qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde, sive* Epigrammata *sive* Idyllia, *sive* Eclogas, *sive, ut multi*, Poematia, *seu quod aliud vocare malueris, licebit voces. Ego tantum* Hendecasyllabos *praesto.*" Ad eam rationem carmina Horatii, *Odas* vulgo appellatas, appellare licet *Lyrica:* quae autem vulgo appellantur *Satirae* et *Epistolae*, quamquam omnes metro heroico compositae, haec non recte appelles *Hexametra.* Nam et Hexametra sunt duplicis generis, iambica et heroica, et metrum in Satiris istis et Epistolis tam negligenter plerumque curatum est, ut aeque atque ipsa oratio proxime ad prosam accedat, et omnia quam simillima sint *sermoni*, *Sermonesque* Horatius ipse nominaverit, unde Grammatici quidam hoc vocabulum pro titulo posuisse videntur.

Et cuncta Horatii poemata inscribi potuerunt *Eclogae*, hoc est selecta varii argumenti carmina, omnis generis, praeterquam Epici et Dramatici. Virgilii Aeneis est carmen Epicum, opus unum et continuum. Caetera Virgilii carmina, Bucolica, Georgica, et alia quaedam, sunt Eclogae. Plinius Hendecasyllabis suis titulum Eclogarum non interdicebat. Omnia Horatii opera in quibusdam MSS. dicuntur Eclogae. Iulius Florus, ad quem Horatius scripsit Epistolam tertiam Libri primi, fuit, teste Porphyrione, *Satirarum scriptor, cuius sunt Electae ex Ennio, Lucilio, Varrone.* Florus carminibus suis titulum *Eclogarum* dedisse videtur, quas, quoniam plerraeque erant liberae, salsae et acerbae, Grammaticus appellat *Satiras*, vel potius, ut scripsisse eum puto, *Satyras.* Florus in his multa sumsisse videtur ex Ennio, Lucilio et Varrone. Quae adhuc de *Satura* et *Eclogis* dixi, ea fortasse confirmari potuissent ex Acrone, si, quod Scholion nunc exstat ad Sermon. II, 1, 1. illud ad nos pervenisset integrum. Pervenit autem mancum et corruptum: » Alii nullius momenti et nimis acrem dicunt Satiram meam, alii dicunt sine nervis esse, quod scripsi, i. e. sine viribus ingenii. *Ecloga* haec omnia habet: si ad Iovem, *hymni;* si ad Apollinem aut ad Dianam aut ad Latonam, *paeanes;* si ad Liberum aut Semelen, *dithyrambi;* si ad ceteros Deos, *prosodiae;* si ad homines, *laudes* aut *vituperationes.*"

Quo ordine Horatius sua carmina ediderit, vel amici post mortem illius coniunxerint, quem titulum coniunctis praeposuerint, non constat. Quas nunc

vulgo *Odas* appellamus, has *Carmina* nominasse videntur; nam caetera pars (*Satirae* et *Epistolae*) magis refert orationem pedestrem, *sermonem. Carmina* etiam, a metro, recte appellabantur *Lyrica.* Erant Lyricorum quinque libri. Quintum librum efficiebant *Epodi* et *Carmen Saeculare.* De nomine poematum non Lyricorum supersunt Scholia Acronis et Porphyrionis. Acro: » *Sermonum libri* ideo dicti, quia vili sermone sunt potius quam tumenti: sive quia ad praesentes scribuntur. *Epistolis* enim ad absentes loquimur, *sermone* cum praesentibus. Quamvis igitur hoc opus *Satiram* esse Horatius ipse profiteatur, cum ait: *Sunt quibus in Satira videar nimis acer et ultra Legem tendere opus*, tamen proprios titulos noluit ei accommodari, hos primos duos libros *Sermonum*, posteriores *Epistolarum* scribens." Porphyrionis Scholion eodem redit, etiam Commentatoris, nisi quod in eo pro *noluit* legatur *voluit*, quod minus rectum est: et in Acrone pro *Epistolarum scribens* legendum *Epistolarum inscribens.* Scholia Acronis et Porphyrionis, qualia nunc habemus, sunt veterum reliquiae, in compendium redactae, interpolatae et recentiorum additamentis auctae. Ex Acrone hoc mihi discere videor, iam olim doctos homines de titulo non convenisse. In aliis nempe exemplaribus videbant *Satiram*, in aliis *Sermones* et *Epistolas.* Antiquissima exemplaria iam interciderant. Alii igitur *Satiram*, alii *Sermones* praeferebant; utrique opinionem auctoritate ipsius Horatii defendentes. De *Epistolis* quod in Scholio legimus, ineptum est. Et hodie inter *Sermones* ea conspiciuntur poemata, quae sunt *Epistolae*, inter *Epistolas*, quae sunt *Sermones*, vel demto nomine proprio, facile fieri possunt *Sermones.* Titulus *Sermones* iam antiquus est, cognitus quippe Suetonio. Et probari potest, quatenus scilicet *Sermones* opponuntur *Carminibus Lyricis*, oratio *prosa poeticae.* Sed Horatius vel docti eius amici numquam, puto, vocabulum *Sermones* sumsissent, quia natura operis non accurate per illud nomen indicatur. Longe aliud est, quando ad Tibullum scribit: *Albi, nostrorum sermonum candide iudex*, verens nimirum ne Tibullus fortasse opinaretur, Horatium velle haberi pro *carmine*, quod non esset nisi *prosa* in metrum redacta. Praeterea titulus *Sermones* non ab omnibus intelligebatur. Nam habet significationes diversas, et egebat aliqua interpretatione, v. c. *Sermones hexametri heroici.* Sed quod ob omnibus intelligebatur, quod naturam universi operis (*Satirarum* et *Epistolarum*) vere ostendit, quod Romanum est et antiquum, quod ab Ennio, literarum et humanitatis parente, ad minora carmina varii argumenti accommodatum, est *Satura.* Hoc amici Horatii non ignorabant. Quare non a vero abhorret titulum fuisse: *Q. Horatii Flacci Satura.* Diversa autem carmina distinguebantur tantum spatio vacuo inter finem unius et principium alterius relicto. Ad hanc normam *Saturae* primum carmen esset: *Qui fit Maecenas*, ultimum sive quadragesimum primum: *Humano capiti.* Quod ultimum illud *Saturae* carmen

nunc inscribitur *Epistola ad Pisones*, factum est recentiori tempore, sicuti et divisio in *Satiras* et *Epistolas*, in *Librum primum* et *secundum*, in *Satiram primam*, *Epistolam primam*, et alias numerorum notationes. Neque veteres *Epistolam ad Pisones*, sed *de Arte poetica* nominabant, ab argumento. Ita iam invenias apud Quintilianum. Licet haec *Saturae* pars titulo *Epistola ad Pisones* a reliquis posset discerni, quoniam altera ad Pisones Epistola non exstat. Fortasse et nomen *Satura* eo commendatur, quod Horatius Sermon. II, 1, 1. scripsit: *Sunt quibus in Satira videar nimis acer;* i. e. in corpore poematum variorum, cui titulus *Satura*. Et Iuvenalis Satira I. postquam dixerat se non scripturum *Epos*, non *Togatas*, non *Tragoedias*, caussam exponit cur ipse in alio campo decursurus sit. - Spado, inquit, Maevia, tonsor, verna Canopi, Crispinus, Matho, Massa, Thymele, mille alii homines et vitia erunt argumentum mei carminis. Nam haec vitia cum videas, *Difficile est Satiram non scribere*, i. e. *Corpus Satirarum*. Statius Silv. I, III, 103. laudato poeta propter *lyram maiorem*, *plectra Pindarica*, *robora Heroa*, addit: *sive Liventem Satiram nigra rubigine turbas:* quod optime interpretatur Gronovius, quia in Satira *turbatur*, *turbando* seu *miscendo* fit opus confusaneum. Iam unum poematium non ita *turbatur*, sed *turba* oritur ex multis poematiis varii metri in unam *Saturam* coactis. Horatius, Iuvenalis et Statius *Satiram* ponere non potuerunt intelligentes unum poematium. Ea nempe significatio iis videbatur non satis Latina. Si fuisset, scripsissent potius: *in Satiris acer*, *Satiras non scribere*, *Satiras turbas*. Martialis quidem Latinitatem antiquam non curavit in Epigr. XII, 96. *Audemus Satiras: Lucilius esse laboras*. De *Saturae* significatione poteram, si hic locus esset, sententiam Casauboni confirmare et argumentis novis tueri. Primus ita iudicavit I. Scaliger ad Manilium in Notis ad Sphaeram Barbaricam pag. 450. Cum Scaligero et Casaubono faciebat Salmasius. Gronovius idem docuerat Graevium. Daniel Heinsius aliter censebat; patrem sequebatur Nicolaus filius, qui cum Graevio de hoc argumento in Epistolis, a Burmanno in Sylloges T. IV editis, ita disputavit, ut hic sententiam mutasse videatur, magis tamen officii caussa, quam quod plane esset convictus. Meo quidem iudicio omnis illa disputatio Casaubono favet. Neque obliviscendum, quali inter se animo D. Heinsius et Salmasius fuerint.

Omnis autem hic ad Pisones libellus dividi potest in tria capita. *Primum* caput continet praecepta, quae praesertim ad carmen heroicum pertinent. *Secundum* versatur in carmine dramatico. *Tertium* habet generalia quaedam de difficultate artis poeticae recte exercendae et insania eorum, qui, neque natura neque studio adiuti, versus tamen faciunt. Singula tria capita per suas partes distribuuntur, maiores et minores. Minores interdum sunt praefatio quaedam vel introductio ad sequentem disputationem. Ego ad hanc normam libellum divisi.

CAPUT PRIMUM.

PRAECEPTA DE CARMINE HEROICO PRAESERTIM.

I.

Humano capiti cervicem pictor equinam 1.
Iungere si velit, et varias inducere plumas 2.
Undique collatis membris, ut nec caput uni 3–8.
Nec pes reddatur formae, sed turpiter atrum 9–3.
Desinat in piscem mulier formosa superne: 4.

I.

Carmen esto varium et tamen unum.

Humano capiti cervicem pictor equinam. Principium mihi satis esse abruptum videtur. Fieri potest ut aliquid exciderit. Optassem certe, carmen heroicum paullo disertius fuisset significatum.

Ut nec caput uni Nec pes reddatur formae. Ego ista ex vs. 8—9 huc retuli. Ibi leguntur de libro *cuius velut aegri somnia vanae Fingentur species, ut nec pes nec caput uni Reddatur formae:* deinde *ut turpiter atrum* mutavi in *sed turpiter atrum*. Verba illa minus bene conveniunt loco, ubi nunc posita sunt, optime autem conveniunt loco, ubi ego posui. Comparat librum malum cum male picta imagine. In imagine, praeter alias ineptias, mulier *desinit in piscem:* in libro *vanae sunt species, velut aegri somnia*. Si libro addis *caput et pedem*, facis etiam ex libro imaginem, comparas imaginem cum imagine; dicis: » liber, in quo, tamquam in imagine nec caput nec pes sibi conveniunt, similis est imagini, in qua nec caput nec pes sibi conveniunt." Ut nos ordinem restituimus, omnia sibi pulchre respondent: Humanum formosae mulieris caput, membra undique collata et variis plumis tecta, ut neque una sit forma, neque caput neque pedes in hac forma conveniant, sed mulier illa tam formosi capitis caudam habeat piscis.

Atrum. Commentator Cruquianus explicat *magnum*. Dignum, quod animadvertatur.

Desinat in piscem mulier. In MS. Brenkm. *in piscem et mulier*.

Spectatum admissi risum teneatis amici? 5.
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum 6.
Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae 7.
Fingentur species. » Pictoribus atque poetis 8–9.
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas." 10.
Scimus. Et hanc veniam petimusque damusque vicissim. 11.
Sed non, ut placidis coeant immitia, non, ut 12.
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. 13.

Spectatum admissi. C. Barthius, in Adversariorum libro XLII, nonnulla Scholia edidit, quae invenit in *antiquissimis membranis Artis Poeticae.* Vetus ille interpres hunc locum sic explicavit: » Ad spectandum convocati. Pictores priusquam tabulas venales ponerent, convocabant amicos, ut eas spectarent. Unde et *speetatus* est *probatus*, *perfectus.* Pingitur autem tabula in figura mechonomi." Illud *mechonomi* esse corruptum nemo non videt. Barthius scribendum coniicit *Neoptolemi;* Suringar in Hist. Critica Scholiast. Part. III, p. 157, *maeniani.* Equidem aliquid excidisse suspicor, ac reponendum: *in figura nec animalis nec hominis.* Vocabulum *animal* hic in Scholiis non est ignotum. Acron: » Si admissi fueritis introire ad spectandum tale animal pictum, potestis risum tenere, o Pisones?"

Fingentur species. MS. D'Orvill. *pinguntur.*

Sed non, ut placidis. In MS. D'Orvill. *Non tamen, ut placidis.*

Serpentes avibus geminentur. Gemina serpentis et avis figura nascatur. Ita Ovid. Metam. VIII, 159 appellat Minotaurum *tauri geminam iuvenisque figuram.* Recte Grifolus, qui Artem Poeticam edidit Florentiae a. 1550: » Non unum corpus ex iis conficere, quae inimica sint natura, et eorum pars altera extinguat alteram." Vidit etiam Gesnerus, annotans: » Basiliscum ergo nondum componebant ex gallo gallinaceo et serpente." Acro et Porphyrio ambigue: » Serpentes cum avibus iungere." Nec satis apparet, quid velit Commentator: » Socientur, iungantur. Ea, inquit, quae specie, natura et qualitate differunt, non debent aut in pictura aut poemate coaptari in una eademque forma, sicut tigris et agnus, piscis et ursus, sed tigris et leo coniungi possunt, uterque enim ferus est." Recentiores interpretes vulgo accipiunt *geminentur* pro *coitu misceantur*, decepti fortasse antecedente *coeant.* Talis v. c. est interpretatio Döringii: » ut mitia animalia cum immitibus coire, Venerem iungere, et aves atque serpentes, tigrides et agnos geminari, paria fieri, iubeant."

II.

Maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni, 24.
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro, 25.
Obscurus fio: sectantem levia nervi 26.
Deficiunt animique: professus grandia, turget: 27.
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae. 28.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam, 29.
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. 30.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte. 31.

II.

Multi illud varium inprimis affectant; sed propterea saepe fiunt ridiculi. Nimirum artem universam non tenent.

Decipimur specie recti. Quintil. Instit. Orat. VIII, III, 56. *Καχόζηλον quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, et specie boni fallitur.* Auctor ad Herennium IV, 10. *In hoc genus plerique quum declinassent, et ab eo, quo profecti sunt, aberraverunt, et specie gravitatis falluntur.*

Sectantem levia. Wielandus prosdiam non satis tenebat. Haec vertit: *indem man leichte Dinge leicht behandeln wil.* Idem ad vs. 301 notum ex Anthologia Epigramma in Licinium citans, partem pentametri scripsit: *quis credat esse Deos?* In adiectivo *levis* contrarius error commissus est in Lexico Schelleri, ubi *leves malvae*, quod invenitur in Horatianis Carm. I, 31, referuntur ad *laeves.*

Tutus nimium timidusque procellae. Quintil. Instit. Orat. X, II, 16. *Plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro gravibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exsultantes, simplicibus negligentes.*

Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. Ut ineptus quidam poeta fecit in versibus, quos Horatio indignos iudicavi, Carm. I, II. *Piscium et summa genus haesit ulmo, Nota quae sedes fuerat columbis, Et superiecto pavidae natarunt Aequore damae.* Hic appinxit pisces ulmo, damas aequori, et rem unam prodigialiter variavit. Si *Ars Poetica* scripta est post illud carmen, suam ipse stultitiam acerbissime reprehendit: si scripta est ante illud carmen, sui ita oblivisci non potuit.

III.

Inceptis gravibus plerumque et magna professis 14.
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter 15.
Assuitur pannus, cum lucus et ara Dianae 16.
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros, 17.
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus: 18.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum 19.
Scis simulare. Quid hoc, si fractis enatat exspes 20.
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit 21.
Institui; currente rota cur urceus exit? 22.
Aemilium circa ludum faber unus et ungues 32.
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos; 33.

III.

Ita carmen locis quibusdam sane pulchris distinguunt, sed alienis. Et particulae nonnullae elegantiores totum carmen non elegans faciunt.

Assuitur pannus. Quintil. Instit. Orat. VIII, v, 28. » *Porro ut afferent lumen clavus et purpurae, in loco insertae, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis.*

Sed nunc non erat his locus. Quando simplex *Rheni* nomen sufficit, inepti poetae multa aliena ad rem ornandam addunt. Seneca Troad. 9. *Ad cuius arma venit, et qui frigidum Septena Tanain ora pandentem bibit; Et qui renatum primus excipiens diem Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto; Et quae vagos vicina prospiciens Scythas, Ripam catervis Ponticam viduis ferit.* Seneca se parum dixisse arbitrabatur, si dixisset: *qui Tanain et Tigrin bibunt, et Scythae.* Boilavius merito ista reprehendit Art. Poet. III, 135. *Que devant Troie en flamme Hécube desolée Ne vienne pas pousser une plainte ampoullée; Ni sans raison décrire, en quels affreux pays, Par sept bouches l'Euxin reçoit le Tanais.* Sed Horatii reprehensio plane pertinet ad locum Virgilii Aeneid. I, 242. *Antenor potuit, mediis elapsus Achivis, Illyricos penetrare sinus atque intima tutus Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi: Unde per ora novem vasto cum murmure montis It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.* Duos versus postremos nuper esse eiiciendos censui, et nunc censeo.

Infelix operis summa, quia ponere totum 34.
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem 35.
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo, 36.
Spectandum nigris oculis nigroque capillo. 37.
Denique sit, quod vis, simplex duntaxat et unum. 23.

IV.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam 38.
Viribus, et versate diu, quid ferre resusent, 39.
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res, 40.
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. 41.

V.

Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor, 42.
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici, 43.
Pleraque differat et praesens in tempus omittat: 44.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclius olim: 136.

Denique. Ut verbo dicam. Ea vis vocabuli a multis explicata est, in his ab Dukero ad Florum I, XVI, et Schultingio ad Quintil. Declam. I, VI.

IV.

Priusquam igitur aliquis opus aggrediatur, suas vires consulat. Tum nec bona dispositio carminis nec verborum delectus desiderabuntur.

Quid valeant humeri. MS. D'Orvill. *Quid valeant animi.*

Nec facundia deseret hunc. In MS. Dukeri *deserit.*

V.

Quid sit bona dispositio, ostendit Homerus.

Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici. Utraque MSS. D'Orvill. *Ut iam non dicat, non iam debentia dici.*

Nec sic incipies. Sanadonus de ordine, quo hi versus vulgo leguntur, annotavit: » *Ces dix-sept vers, qui regardent l'exorde du Poeme, semblent ne point convenir à cet endroit, où Horace parle des passions et des moeurs, depuis le centieme vers iusqu'au cent soixante dix-neu-*

» Fortunam Priami cantabo et nobile bellum." 137.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? 138.
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. 139.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte: 140.
» Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae, 141.
» Qui mores hominum multorum vidit et urbes." 142.

vieme. Tout cela prouve que le Poete n'a prétendu que ietter dans cette lettre ses principales réflexions sur la Poesie, dans l'ordre, qu'elles se présentoient sous sa plume.

Ut scriptor Cyclius olim. Regelsbergerus, cuius liber *de Poesi Horatiana* prodiit Viennae a. 1797. in MS. invenit *Ciricus*. Hinc coniecit *Cypricus*.

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. Fortasse Horatius *Priamum* nomine appellari non probavit. Atque ita accepit Vida Poet. III, 40. » Iam vero cum rem propones, nomine nunquam Prodere conveniet manifesto: semper opertis Indiciis, longe et verborum ambage petita Significant, umbraque obducunt: inde tamen, ceu Sublustri e nebula, rerum tralucet imago. Clarius, et certis datur omnia cernere signis. Hinc si dura mihi passus dicendus Ulysses, Non illum vero memorabo nomine, sed qui Et mores hominum multorum vidit et urbes Naufragus, eversae post saeva incendia Troiae. » Homerus tamen, cuius *Ἄνδρα μοι ἔννεπε* Horatius ante oculos habuit, Iliadem sic exorsus est, ut *Μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος* nominaverit. Versus autem *Fortunam Priami* est ex noto poeta, sicuti Boilavius citavit suum ex Alarico Scuderii, Art. Poet. III, 270. » N'allez pas dès l'abord, sur Pégase monté, Crier à nos lecteurs, d'une voix de tonnerre: » Ie chante le vainqueur des vainqueurs de la terre."

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem. Hieronymus Vida et haec egregie interpretatus est verbis supra a me positis. » umbraque obducunt: inde tamen, ceu Sublustri e nebula, rerum tralucet imago."

Parturiunt montes. Disputavi in praecedenti annotatione ad hunc locum nonnulla de Graecorum desiderativis. Apud Suetonium in Domitiano 10. legitur: *Aelius Lamia Tito hortanti se ad alterum matrimonium, responderat, μὴ καὶ σύ γαμῆσαι θέλεις.* In excerptis Politian. erat *γαμησείης*. Verum puto, si reponis *γαμησείεις*.

Qui mores hominum multorum vidit et urbes. Broukhusius annotavit Philelphum Epist. XV, et in aliis libris vertisse *mentes*. Muretus in Variis Lection. XVII, 8, Horatium reprehendit: » *Urbes inquit* (Homerus) *multorum hominum vidit, ingenia naturasque cognovit. Quae re ipsa distincta sunt, ea distinxit etiam verbis. Negligentius Horatius.* Qui mores hominum multorum vidit et urbes. *Urbes etiam a praetereunte videri possunt: mores cognosci, nisi adhibita cura et studio, non possunt.*

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo. In MSS. quibusdam apud Gonodum *ab ovo, et Semper ad eventum festinat.*

Atque ita mentitur. Quintil. IV, II, 91. *Utrobique autem orator meminisse debebit actione tota, quid finxerit, quoniam solent excidere, quae falsa sunt: verumque est illud, quod vulgo dicitur, mendacem memorem esse oportere.*

Sic veris falsa remiscet. Annotatio Commentatoris Cruquiani legitur: » *Pro commiscet, mutatione praepositionis, ut uteroque recusso pro concusso, et apud Poetam si non veris falsa remisces.*" Eam sic esse emendandam iudico: » *Sic veris falsa remiscet. Remiscet* pro *commiscet*, mutatione praepositionis, ut apud Poetam *uteroque recusso* pro *concusso.*" *Poeta* est Virgilius, cuius versus exstat in Aeneid. II, 52. ubi Servius: » Pro *concusso.* Praepositio pro praepositione." Caeterum Horatius ante oculos habuisse videtur ipsius Homeri versum ex Odyss. T, 203. *Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.*

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem 143.
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat, 144.
Antiphatem, Scyllamque et cum Cyclope Charybdim. 145.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri, 146.
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo. 147.
Semper ad eventum festinat et in medias res, 148.
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae 149.
Desperat tractata nitescere posse, relinquit; 150.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, 151.
Primo ne medium, medio ne discrepet imum. 152.

VI.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis, 46.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. 45.

Dixeris egregie, notum si callida verbum 47.
Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est 48.

VI.

In verbis pulchrum est alia novare, alia ex antiquo tempore quasi in vitam revocare.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis. Bentleius rectissime hunc versum posuit ante vs. 45. *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* » Restituo, inquit, huic versui suum locum et ordinem, iam plus mille annos, ut ex Servio patet, amissum; eoque indignius, quod de Ordine iam nunc tractandum erat." Mirum Britanno turbatum ordinem hic adeo displicuisse, et displicuisse vehementius, quia de *Ordine* nunc erat tractandum. Cur idem ille Britannus ordinem turbatum tam patienter tulit in tota Epistola, illa Epistola, quae hoc consilio scripta est, ut Pisones doceret, quid in Poesi esset elegans? Atqui elegans sine ordine cogitari non potest. Horatius ergo turpiter neglexit, quod aliis summopere commendavit. Idem est, ac si quis inepta et barbara oratione discipulos suos adhortetur, ut castigata et pulchra Latinitate utantur. *Serere* autem et *conserere verba* plerumque dicitur de continua oratione, ut *sermonem serere*, non adeo de *singulis* vocabulis, de quibus hic agitur. Vide Oudendorp. ad Appul. Metam. I. p. 9. Francus interpres *serendis* derivat a *sero serui*, hoc est *coniungo*, non a *sero sevi*, hoc est *semino*, et reprehendit eos, qui *serendis* a *seminando* repetunt, et contrariam huic loco sententiam affingunt. Equidem unum modo esse *sero* arbitror, sed duplex usu receptum perfectum. Prima notio semper est *seminare*. Horatius, puto, hic melius scripsisset: *In verbis etiam tenuis cautusque legendis.* Agit nimirum de delectu verborum. Hoc verbo, inquit, Poeta utatur, illo non utatur. Conferatur Cicero de Oratore III, 37, 38; ubi disputat de *singulis* verbis, ut Horatius, tum de continuatis coniunctisque. In verbo simplice explicat *inusitatum*, *novatum et translatum:* in omnibus autem delectum esse adhibendum docet. In tali delectu Horatius vult poetam esse tenuem et cautum. Jam *verba serere* significare potest verba nova *creare*, *facere*, quasi *seminare*. Sed, praeterquam quod illud ambigue hic esset dictum, quia, ut vidimus, *verba serere* plerumque significat *sermonem habere;* Horatius non unice loquitur de *novis verbis*. Et cum dicit *hoc amet, hoc spernat*, ostendit ea verba non esse *nova*, sed iam *exstare*. Cum addit *dixeris egregie*, ad novum praeceptum transit.

Dixeris egregie. In MS. Vlamingii *dixerit egregie.* Quod, ut alias ex illo MS. et D'Orvill. et Duker. a nemine ex MSS. suis notatum vidi.

Notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum. Cicero de Oratore III, 38. » *Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, ut haec:* Tum pavor sapientiam omnem mihi exanimato expectorat. Num non vis huius me versutiloquas malitias. *Videtis enim et* versutiloquas *et* expectorat *ex coniunctione facta esse verba, non nata.*

Si forte necesse est. MSS. D'Orvill. verbum *est* omittunt.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis. Miris modis hic corruptum est Scholion Porphyrionis: » Omnes enim Cethegi morem servaverunt eundem Romae, inter caetera descriptam comam retulerunt; nunquam enim tunica usi sunt, ideo *cinctutos* eos dixit, quoniam cinctum est genus tunicae infra pectus aptatae, eis ergo *non exaudita verba*, tamquam solvant et inter caesarem insolita intercisa nemo dixit. Est autem intestinum pusillum, et deinde verbi gratia, sic alapam cum uno digito imam ferimus auriculam. » Nemo, quantum equidem recordari possum, ista emendare conatus est, praeter Octavium Ferrarium de Re Vestiaria I, 9, cuius disputatio haec est: » Acron MS. in Biblioth. Mediolanensi *cinctutis exertis* recte ex Lucano interpretatur. Ut et alius vetus interpres ibidem MS. *cinctutis exertis.* Porphyrio maculosus est, sed ex quo quasi per caliginem veram loci huius sententiam eliciamus. *Omnes enim Cethegi*, inquit, *morem servaverunt eundem Romae, inter caetera descriptam comam retulerunt. Nunquam enim tunica usi sunt. Ideo* cinctutos *eos dixit, quoniam* cinctum *est genus tunicae infra pectus aptatae.* Locus quidem male affectus, et cui, sine ope MS. sanando non ego sim. Quid enim hic de *coma descripta?* Fortasse legendum: *inter cetera deiectam togam tulerunt.* Quod nempe Cethegi sine tunica incederent, ideo sinistro brachio non contraxisse togam, ne caetera corporis nudarentur, cum solo cinctu velati essent. Cur autem ita Cethegi incederent, ea ratio afferri potest, quod, cum Romani antiquissimi solam togam sine tunica gestarent, Cethegos severioris vitae ac cultus in antiquo habitu perseverasse, eumque morem posteros secutos esse." Haec Ferrarius. Ego vocabulis quibusdam transpositis, aliis leviter mutatis, aptam hinc sententiam elicuisse mihi videor: » Omnes enim Cethegi morem servaverunt eundem Romae: inter caetera verbi gratia discerptam inter caesariem insolito intercisu comam retulerunt. Quoniam *cinctum* est genus tunicae infra pectus aptatae, ideo *cinctutos* eos dicit. Nunquam enim tunica usi sunt. Eis ergo *non exaudita verba*, tamquam quae nemo dixit." In his *discerptam* pro *descriptam*, *caesariem* pro *caesarem*, *in-*

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum; 49.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis 50.

Continget, dabiturque licentia sumta pudenter. 51.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si 52.
Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem? 53.

solito intercisu pro *insolita intercisa*, *tamquam quae* pro *tamquam* posui. Sententia huius Scholii haec est: Cethegi more insolito comam inter caesariem, quae est in summo capite, intercidunt, atque ita intercisam ac discerptam, retro, inter aurem dextram et sinistram, in occipitium referunt. *Comam referre* est *pone verticem revocare*, a fronte ad cervicem reducere, de quo interpretes ad Suetonii Jul. Caesar. 45. qui deficientem capillum a vertice revocare solebat ad frontem. Cethegi capillos more Hectoreo tondebant. Scholiasta Lycophronis: Ἐκτόρειος κόμη, ἡ τὰ ὄπισθεν καθειμένα ἔχουσα, τὰ δὲ ἔμπροσθεν κεκαρμένα. Casaubonus comparat locum Suetonii in Tiberio 68. *Capillo pone occipitium summissiore, ut cervicem etiam obtegeret.* Iunius de Coma pag. 529, annotavit Daunios et Peucetios rationem Hectoream a Troianis inde temporibus mordicus tenuisse. Plutarchus in Theseo cap. 5. ex Homero ostendit Abantas ita tonderi, tonderi et alias gentes. Theseus etiam ἐκείρατο τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον. Faciebant nimirum bellicosi homines, qui non eminus sed comminus pugnabant. Ita enim hostes capillos arripere non poterant. Suevis, narrante Tacito de Moribus Germ. 38. *insigne gentis, obliquare crinem nodoque substringere;* et deinde idem dicit aliis verbis: *horrentem capillum retro sequuntur.* Cethegi aliunde, ex Italia, Romam venerunt. Advenae isti, ut sacra gentilitia, ita et vestitum saepe servabant. *Cinctum* autem est vocabulum, quo Lexica sunt augenda. Dubitabat ea de re Oudendorpius ad Appul. Metam. XI. pag. 773, et alibi. Fuere qui pro *cinctum* mallent *cinctus*. Sed *cinctum* est ipsa vestis, *cinctus* ratio et forma vestis. Supersunt in Scholio Porphyrionis vocabula: *solvant est autem intestinum pusillum et deinde sic alapam cum uno digito imam ferimus auriculam.* Quid ista velint, divinando non assequor. Fortasse hoc scholion aliunde huc fuit translatum, et in *intestinum* latet *antestatio;* eo certe ducunt illa *imam ferimus* (offerimus) *auriculam.*

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem. Fidem habebunt, ut numi, publica auctoritate recepti et non corrupti, habent fidem. Hinc Quintil. Inst. Orat. IV, II, 118. *Figurae, non illae poeticae et contra fidem loquendi, auctoritate veterum receptae.* Idem V, II, 20. *Nostrorum quidam, non sane recepto in usum nomine*, apologationem *dixere.* Vocabulum *apologatio* igitur fidem non invenit.

Parce detorta. Ut supra *pudenter.* Et recte Scholiastae: *modeste, verecunde.* Quintilian. VIII, VI, 33, hanc

Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum 54.
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca 55.
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni 56.
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum 57.
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit, 58.
Signatum praesente nota procudere nomen. 59.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos, 60.
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas: 61.

quaestionem attigit: *In Graecis* obelisco colodumo *dure etiam iungere vetamur, qui toleranter videre* septemtriones *videmur.* Ubi fortasse reponendum est *obeliscocolumna.* Monstra scripturarum in MSS. conspiciuntur. Fieri potest ut prior compositi pars Graecis literis fuerit concepta, ὀβελισκοcolumna. Est autem *obeliscocolumna*, columna in figuram obelisci formata. Toleramus, inquit, Quintilianus, *septemtriones*, vocabulum ex Graeco et Latino compositum, *obeliscocolumna*, eadem ratione compositum vetamur iungere, quia dure iungeremus ex opinione multorum.

Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum Virgilio Varioque? Iam Muretus in Orat. XIV, comparavit illud Ciceronis: *Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni?*

Lingua Catonis et Enni. Commentator Cruquianus: *Ostendit linguam Latinam initio admodum fuisse angustam, et in aeternis angustiis eam manere debuisse, nisi a Catone, Ennio, Andronico dilatata fuisset, derivatis verbis e Graeco fonte.* In his nomen *Andronici* mirum mihi accidit.

Signatum praesente nota producere nomen. Valcken. Observ. ad Origin. Graecas pag. 37. » Si quid video,' sensus est: licere nomen, tamquam numum, olim signatum, nonnihil ad analogiam aliorum producere et prolongare, atque adeo quasi novum producere." Quae supra scripsi de *praesente nota*, iis adde Polyaeni Strateg. VI, 9. Λεύκων ἐκήρυξεν ὅτι μέλλοι κόπτειν ἄλλο νόμισμα, καὶ δέοι προσφέρειν αὐτῷ, τὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ, ὅπως μετακοπὲν δόκιμον εἴη. οἱ μὲν προσήνεγκον ὅσον εἶχον, ὁ δὲ ἄλλον χαρακτῆρα ἐπιβαλὼν κ. τ. λ. Macarius in Homil. XXX, pag. 415. ὥσπερ τὸ νόμισμα τοῦ χρυσίου, ἐὰν μὴ λάβῃ καὶ ἐντυπωθῇ τὴν βασιλικὴν εἰκόνα, οὔτε εἰς ἐμπορίαν ἀπέρχεται, οὔτε εἰς βασιλέως θησαυροὺς ἀποτίθεται, ἀλλὰ ἀπόβλητον τυγχάνει. Marcus in Euangelio XII, 16. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἐπιγραφή; οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ. Καίσαρος. Praesens illius denarii nota erat imago et nomen Caesaris.

Prima cadunt. Praedicovius, qui

Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque, 62.
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque 70.
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, 71.
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi. 72.
Debemur morti nos nostraque: sive receptus 63.
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet, 64.
Regis opus, sterilisque diu palus aptaque remis 65.
Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum; 66.
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis, 67.
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt, 68.
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax. 69.

CAPUT SECUNDUM.

PRAECEPTA DE CARMINE DRAMATICO.

I.

Res gestae regumque ducumque et tristia bella 73.
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus. 74.
Versibus impariter iunctis querimonia primum, 75.
Post etiam inclusa est voti sententia compos. 76.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor, 77.
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. 78.

Horatium edidit Vitebergae a. 1806, coniicit *prisca cadunt.*

Regis opus. Quod emendavi *Urbis opus*, nomen *Urbis* iam ipsum significationem *magnitudinis* secum affert. Ita usu receptum fuit *oppido*, pro *valde.*

Seu cursum mutavit. In MS. Vlamingiano *cursus.*

Nedum sermonum stet honos et gratia vivax. Commentator Cruquii » *Vivax*, *perpetua.* Si haec omnia, quae memorata sunt, absque dubio mutantur et transeunt, verborum gratia perennis quomodo manere potest?" N. Heinsius scribendum putat: *Nedum ut sermonum stet honos et gratia vivax.*

Musa dedit fidibus divos puerosque deorum, 83.
Et pugilem victorem et equum certamine primum 84.
Et iuvenum curas et libera vina referre. 85.
Archilochum proprio rabies armavit iambo. 79.
Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni, 80.
Alternis aptum sermonibus, et populares 81.
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis. 82.

II.

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus, 251.
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit 252.
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus. 253.
Primus ad extremum similis sibi; non ita pridem, 254.

I.

Dixi praesertim de carmine heroico. Metrum assignavit Homerus. Sunt et alia carmina, suum quodque metrum et argumentum habentia, Elegiacum, Lyricum, Iambicum. Iambicum regnat in carmine Dramatico.

Et iuvenum curas et libera vina referre. Pro *referre* N. Heinsius malebat *referri.* Commentator *libera vina* explicat *convivia divorum.* Scribendum puto *convivia ditiorum.*

II.

Ratio metri Iambici apud Graecos et Romanos.

Non ita pridem. Ludovicus Doederlinus a. 1828 Erlangae Decadem Lectionum Horatianarum emisit. Pagina 21 de loco Horatiano ita disputat: Horatius non potuit dicere *non ita pridem:* cum iam ipse Archilochus Iambum Spondeis temperaverit. Nec de Romanis hoc tantum accipi potest. Ideo Doeringius interpungit: *similis sibi. Non ita pridem.* Inesse putat vir doctus Ironiam hanc: Quis demum ignorat vel addubitat, quid sit Iambus? Syllaba videlicet longa brevi subiecta, quo efficitur pes citus. Id si hodie et omnes pueruli sciunt et tragoediarum scriptores observant, tamen olim apud nos non ita fuit. Doeringius ergo *non ita pridem* interpretatur *non ita pridem fuit. Pridem* pro *olim*, cui opponitur *nunc*, confirmat ex Iustino XXXI, 3. *Italiam notiorem sibi nunc quam pridem fuisse.*

Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures, 255.
Spondeos stabiles in iura paterna recepit 256.
Commodus et patiens; non ut de sede secunda 257.
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci 258.
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni 259.
In scenam missos magno cum pondere versus 260.
Aut operae celeris nimium curaque carentis, 261.
Aut ignoratae premit artis crimine turpi. 262.

Spondeos stabiles. Quintilian. Instit. Orat. I, x, 32. *Pythagoram accepimus concitatos ad vim pudicae domui afferendam iuvenes, iussa mutare in spondeum modos tibicina, composuisse.* Idem IX, IV, 83. *Horum pedum nullus non in orationem venit, sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syllabis, hoc graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem.*

Non ut de sede secunda Cederet aut quarta socialiter. Pro *socialiter* corrigendum esse putabam *sextave sed.* Commentator Cruquianus: »Iambicus trimeter nullum pedem olim admisit alium praeter iambum: sed non ita pridem, id est, non diu est, quod notos (novos) pedes, ut spondeum et alios receperit, sed iis legibus, ut secundum quartum *et sextum* locos sibi proprios servaret, primum tertium et quintum locum concedens aliis."

Cum magno pondere. Ita etiam legitur in MS. Brenckmanni.

Aut ignoratae premit artis crimine turpi. Vere Ovidius Trist. II, 424. *Ennius ingenio maximus, arte rudis.* Quintil. Instit. Orat. I, 8. *Veteres Latini plerique plus ingenio quam arte valuerunt.* Ubi vide Spaldingium, qui et affert locum Ciceronis Epist. ad 2. Fratrem II, 11. »*Lucretii poemata, ut scribis, lita sunt multis luminibus ingenii, multae tamen artis.*" In quibus sententia omnino postulare videtur *non multae tamen artis.* Caeterum post Horatii versum *aut ignoratae premit artis crimine turpi*, nonnulli putaverunt esse inserendum hunc: *Nec tanta in metris venia conceditur uti.* Servius nempe ad Virgil. Aeneid. V, 467 *dixitque et proelia voce diremit*, annotavit: »*vacat* que *metri caussa: et maluit perissologiam facere, quam uti communi syllaba, quae frequens vitiosa est: unde Horatius:* Nec tanta in metris venia conceditur uti. *Graeci enim his utuntur frequenter.* Sed recte a Burmanno et aliis in Servio correctum *Terentianus* pro *Horatius.* In Terentiano Mauro vs. 1010 legitur *Nec tanta in pedibus venia conceditur uti.* Eoque minus dubitari potest in Servio scribendum esse *Terentianus*, quia Servius totum illius praeceptum, metro sublato, expressit, quod apparet ex versibus Terentiani praecedentibus: *Nec mihi Graecorum ratio est attingere κοινάς, Quarum rarus inest nostris in versibus usus.*

III.

Non quivis videt immodulata poëmata iudex, 263.
Et data Romanis venia est indigna poetis. 264.
Idcircone vager scribamque licenter, ut omnes 265.
Visuros peccata putem mea, tutus et intra 266.
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam, 267.
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca 268.
Nocturna versate manu, versate diurna. 269.

III.

Romani in modulatione negligentiores. Ea negligentia exemplis Graecorum est corrigenda.

Et data Romanis. MS. D'Orvill. *Sed data Romanis.*

Tutus et intra Spem veniae cautus? Commentator: *Numquid ideo audacter scribam, quia certus sum quod mihi indulgebitur, si errem, sicut aliis?*

Vitavi denique culpam, Non laudem merui. Similia sunt Terentii Adelph. IV, III, 2. *Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio. Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo.* Adde Quintilianum in Instit. Orat. VIII, III, 2. *Nam emendate quidem ac lucide dicentium tenue praemium est, magisque vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris.* Ubi scribendum potius: *magisque ut vitiis carere, quam aliquam* sq. Idem IV, 9. *Et dum satis putant vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent.* Nec diversa ratio in moribus obtinet. Lucas Euangel. XVII, 10. οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε· ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. ὅτι ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. Pro *laudem* in MS. D'Orvill. *laudes.*

Nocturna versate manu versate diurna. Quamquam Quintil. Instit. Orat. IX, IV, 24 scripserit: *Est et naturalis ordo, ut* viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum *dicas potius quam retrorsum;* veteres tamen promiscue dixisse apparet. Virgil. Aeneid. VI, 127. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.* Neque ego hoc ad metri necessitatem referendum arbitror, ut multi arbitrati sunt, et Gesnerus ad l. l.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

IV.

Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his Comoedia, non sine multa
Laude, sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque

Quintiliani. Bonus poeta metri lege non cogitur. Horatius versum ita componere potuisset: *Vos exemplaria Graeca In manibus versate dies noctesque, Pisones.* Virgilius autem: *Atra dies noctesque patent penetralia Ditis.* Et quid Ciceronem movebat ut scriberet I, 61 de Oratore: *In hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur?* Idem de Oratore II, 39, variato ordine: *Assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus.* Neque ordo ille naturalis in *ortu occasuque* fuit observatus. Dixi quaedam ea de re in Biblioth. Critica Nova Vol.IV, pag.292.

At nostri proavi. In Cod. D'Orvill. *Ut nostri proavi.*

Scimus inurbanum lepido seponere dicto. In vetere editione manu viri docti annotatum inveni *lepido postponere dicto.*

IV.

Origo et progressus Tragoediae et Comoediae apud Graecos et Romanos. Romani hic etiam non satis curae adhibuerunt.

Instravit pulpita tignis. In MS. Vlaming. *instravit pulpita linguis.*

In vitium libertas excidit. N. Heinsius coniecit *recidit.*

Chorusque Turpiter obticuit. Turpiter, ut mali homines faciunt, non

Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque poetarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.

V.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.

sponte, sed formidine poenae. Horat. Epist. II, 1, 152. *vertere modum formidine fustis Ad bene dicendum delectandumque redacti.*

Praetextas. Si quis putet hoc metro esse datum pro *praetextatas*, is videat Oudendorpium ad Suetonium In Vita Persii p. 1006. Horatio scribere licuisset: *Vel praetextatas vel qui docuere togatas.* Soni ejusdem in eodem versu ita repetiti *atas — atas* multa inveniuntur ubique exempla.

Quam lingua, Latium. In MS. Brenckm. *Quam Latium lingua.*

V.

Ex Tragico carmine ortum est Satyricum. Quid in dicendi genere, quid in decoro observandum.

Mox etiam agrestes Satyros nudavit. Quod supra corrigendum esse putavi *Satyros induxit*, hoc in exemplari suo habuisse videtur Commentator: *commendare, describere, insinuare, inducere.*

Illecebris. MSS. quaedam apud Gonodum *incelebris*, noto transpositarum literarum errore.

Verum ita risores, ita commendare dicaces 225.
Conveniet Satyros, ita vertere serio ludo, 226.
Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur heros, 227.
Regali conspectus in auro nuper et ostro, 228.
Migret in obscuras humili sermone tabernas; 229.
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet. 230.
Effutire leves indigna Tragoedia versus, 231.

Ita commendare dicaces Conveniet Satyros. Mira est annotatio Batteuxii: »*Commendare* ne pourroit — il pas signifier *faire figurer* une chose avec une autre, *mandare cum*, comme *adhibere: Quicumque Satyris adhibebitur heros.* Alors *commendare* reviendroit à-peu-près à *committere.*" Nihil minus mihi quaesitum est quam tales interpretum errores reprehendere. Utile tamen est, his praesertim temporibus, errores huiusmodi, ex ignorantia linguae Latinae profectos, interdum ostendere. Supra laudavi interpretationem Acronis. Quae si cui minus placeat, is fortasse mecum iudicabit Horatium scribere potuisse: *ita commutare dicaces Conveniet Satyros.* Poeta ille post Tragoediam inducit Satyros, vertit seria in ludum, *commutat Satyros.* Pro *commutat Tragoediam cum Satyris*, paullo exquisitius dicitur *commutat Satyros cum Tragoedia.* De hac formula dixi nonnulla ad Horatii Carm. II, XVI. MSS. plerumque in accusativis et ablativis casibus variant. Castigati scriptores, poetae inprimis, hoc praetulisse videntur, quod a nostri sermonis consuetudine abhorret, ut illud, quod in mutatione novum sit, per accusativum indicent, quod autem vetus erat, per ablativum. Ita in Ovidii Metam. VIII, 447, *moestis ululatibus urbem Implet, et auratis mutavit vestibus atras:* vera scriptura est, non, *auratas mutavit vestibus atris.* Burmannus hoc praetulit, propter auctoritatem plurimorum Codicum, et *quia mutamus proprie quae abiicimus cum iis quae assumimus.* Singulare argumentum! Nam idem valet, si dixero: *mutamus proprie quae assumimus cum iis quae abiicimus.* Quod Burmannus appellat *proprium*, hoc in usu linguae situm est, non in ipsa re. Et credibilius videtur librarios mutasse *auratis* in *auratas*, quam contra.

Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet. Auctor ad Herennium IV, 10. *Erit enim et attenuata verborum constructio quaedam, et item alia in gravitate, alia posita in mediocritate. Nam gravi figurae, quae laudanda est, propinqua est ea, quae fugienda est.*

Effutire leves indigna Tragoedia versus. Commentator: *Tragoedia non debet habere leves versus, sicut Satyra, quia plena debet esse doloris et gravitatis, unde et* Ori *dicuntur carmina in tragoediis, ab altitudine soni.* Quid sit illud *Ori* non intelligo. An scribendum *cothorni?*

Ut festis matrona moveri iussa diebus 232.
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis. 233.
Non ego inornata et dominantia nomina solum 234.
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor, amabo, 235.
Nec sic enitar tragico differre colori, 236.
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax 237.
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum, 238.
An custos famulusque dei Silenus alumni. 239.
Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni, 244.
Ne, velut innati triviis ac paene forenses, 245.
Aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam, 246.
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta: 247.
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res; 248.

Davusne loquatur et audax Pythias. In D'Orvill. et Vlaming. *Davusne loquatur an audax Pythias.*

Silenus. Baxterus ad h. l. annotavit: »Est igitur a *Σωλὴν Silenus.* Notum est etiam senes Satyros dictos fuisse Silenos, ob summam scilicet Poeticae Musicaeque peritiam. Quin et Latinis *Silanus canalis* est seu *fistula*, Belgis *sille.*" Bilderdykius exemplari suo adscripsit: »Vult *zyl, sluis. Siloam* in Euangelio Ioannis. *Sillabub* est Londini liquidum quoddam gelatinosum ex ovis cum lacte coniunctum, nostratibus *melkvlade.* Hoc nescivit Baxterus, ruricola. Thema vocis est *sullen, glyden.*"

Silvis deducti. Cicero de Oratore I, 8. *A fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere.*

Ne, velut innati triviis ac paene forenses. Döringius coniicit *aut paene forenses.* Commentator: *Satyri non debent iocari in poemate, ut nati videantur* aut *in triviis* aut *in foro.*

Aut immunda crepent ignominiosaque dicta. Ovidius Remed. Amoris 373. *Fortia Maeonio gaudent pede bella referri; Delitiis illic quis locus esse potest? Grande sonant Tragici; Tragicos decet ira cothurnos. Usibus e mediis soccus habendus erit.*

Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor, 249.
Aequis accipiunt animis, donantve corona. 250.

VI.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo 317.
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces. 318.
Interdum speciosa locis morataque recte 319.
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte, 320.

Nec si quid fricti ciceris probat et nucis emptor. Quintilianus Instit. Orat. II, 12, vocat *circum pullatum.* Tacitus de Caussis Corrupt. Eloq. 7. *vulgus imperitum et tunicatus hic populus.*

Aequis accipiunt animis. MSS. apud Gonodum *excipiunt.* Atque ita in quibusdam invenit Fea.

VI.

Unde materies carminis Satyrici sumenda.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo. Cicero de Oratore II, 59. *Est autem haec huius generis virtus, ut ita facta demonstret, ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur.* Auctor ad Herennium IV, 17. *Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores esse videantur. Nam necesse est animo eam comprobet tacitus auditor, cum ad caussam videat accommodari rem certam, ex vita et moribus sumtam.*

Interdum speciosa locis morataque recte Fabula. Memorabile mihi videtur Scholion Porphyrionis: *Colligit saepe magis placuisse fabulam, quae nudis narretur verbis, quoniam res spectatorem delectarent, quam quae locis communibus explicaretur. Sic verbi gratia Circulator referat de Regulo, quomodo captus sit aut punitus, verbis sordidis, quae, si non delectant, attamen res evocat auditu dignas.* Scholiasta ille aliud vidit, quam quod nos nunc videmus. Fortasse *Interdum haud speciosa locis, morata sed apte Fabula.* In Bibliotheca Academiae nostrae est exemplum editionis Baxterianae, a Gesnero curatae. Bilderdykius nonnulla annotavit. »Bilderdijk 1798. Brunovici. Qui et otians notulas adiecit in maris transcursu, dum Hamburgo in patriam tenderet mense Martio 1806." De hoc loco ita sensit: »*Interdum speciosa* iungantur, non *interdum oblectat.* Perpetuum hoc est, ut recte morata fabula, levissima licet, nugis canoris praeferatur."

Sine pondere et arte. Horatius Epist. II, II, 111. *Audebit quaecumque parum splendoris habebunt, Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur, Verba movere loco.* Conferatur Cuperus in Observ. I, II.

Valdius oblectat populum meliusque moratur, 321.
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae. 322.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis 240.
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret 241.
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet! 242.
Tantum de medio sumtis accedet honoris! 243.

VII.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque 202.
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco, 203.
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque 204.
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu; 205.
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus 206.
Et frugi, castusque verecundusque, coibat. 207.

Quam versus inopes rerum nugaeque canorae. Cicero de Oratore I, 12. *Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia.*

Speret idem, sudet multum, frustraque laboret. Quintil. Instit. Orat. IV, II, 38. *Rem indicare sermonis quotidiani et in quemcunque etiam indoctorum cadentis existimant: cum interim, quod tamquam facile contemnunt, nescias, praestare minus velint, an possint. Neque enim aliud in eloquentia, cuncta experti, difficilius reperient, quam id, quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt, quia non bona iudicant esse illa, sed vera.* Ubi scribendum puto: *Non, quia bona iudicant esse illa, sed vera.* Idem XI, II, 92. *Adiiciendum etiam breviter videtur, quod fere dicendi virtutes diversissimae non solum suos amatores habeant, sed ab iisdem saepe laudentur. Nam Cicero quodam loco scribit, id esse optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. Alio vero, non se id egisse, ut ita diceret, quomodo se quilibet posse confideret, sed quomodo nemo.*

Tantum de medio sumtis accedet honoris. Quintilianus in Institut. Orator. V, VII, 31. *Verbis quam maxime ex medio sumtis, ut, qui rogatur, intelligat, aut ne intelligere se neget.*

Postquam coepit agros extendere victor, et urbem 208.
Latior amplecti murus, vinoque diurno 209.
Placari Genius festis impune diebus, 210.
Accessit numerisque modisque licentia maior. 211.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum 212.
Rusticus urbano confusus, turpis honesto! 213.
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti 214.
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem. 215.
Sic etiam fidibus voces crevere severis, 216.
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps, 217.
Utiliumque sagax rerum et divina futuri, 218.
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. 219.

VIII.

Descriptas servare vices operumque colores, 86.

VII.

De Musica et ornamentis in Carmine Dramatico. Ea cum populi conditione fuere mutata.

Simplexque foramine pauco. N. Heinsius apposuit *paullo.*

Quo sane populus numerabilis, utpote parvus. Franci et Germani verba *utpote parvus* interpretati non sunt. Senserunt, credo, difficultatem, putantes nempe *numerabilis* et *parvus* esse idem. Sed *numerabilis* est ἀριθμητὸς, εὐαρίθμητος, de quo Casaubonus ad Theocriti Eidyll. XVI, 87, ἀριθμάτους ἀπὸ πολλῶν. *Numerabilis* ergo populus, quem possis numerare. Horatius caussam addit cur posset numerari. Erat nimirum *parvus*, habebat admodum exiguos fines et opes. Omnia rerum et populorum initia sunt *parva*. Ovid. Fast. III, 179. *Parva fuit, si prima velis elementa referre, Roma, sed in parva spes tamen huius erat. Moenia iam stabant, populis angusta futuris, Credita sed turbae tunc nimis ampla suae.* Et Livius in Praefatione *parvas opes Romae* memoravit. Multi interpretes hoc non cogitavisse videntur. Ideo Faber coniecit: *utpote parcus.*

Indoctus quid enim saperet liberque laborum. In uno Cod. Leid. hic versus negligentia librarii est omissus.

Facundia praeceps. Quintilianus Instit. Or. XII, x, 73. *Falluntur plurimum, qui praecipitia pro sublimibus habent.* et § 80. *Sic erunt magna, non nimia; sublimia, non abrupta; fortia, non temeraria.*

Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor? 87.
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo? 88.
Si plausoris eges aulaea manentis et usque 154.
Sessuri, donec cantor »Vos plaudite" dicat: 155.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi. 153.

IX.

Versibus exponi tragicis res comica non vult: 89.
Indignatur item privatis ac prope socco 90.
Dignis carminibus narrari coena Thyestae: 91.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter. 92.
Interdum tamen et vocem Comoedia tollit, 93.

VIII.

In dramatibus omnia sint recte descripta et disposita.

Si plausoris eges aulaea manentis. Donatus in Praefatione ad Eunuchum Terentii: *Vult Poeta noster, tenendi spectatoris caussa, omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo atque, distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulaea sublata spectator exsurgat.*

Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi. In MS. Brenckm. *desiderat.* Indicativus ille modus saepe a viris doctis in tali caussa defensus est.

IX.

Discrimen inter sermonem Tragicum et Comicum.

Versibus exponi tragicis res comica non vult. Cicero de Optimo genere Orat. 1. *In Tragoedia comicum vitiosum est, et in Comoedia semper tragicum. Et in caeteris suus est cuiusque sonus et quaedam intelligentibus nota vox.* Quintil. X, II, 22. *Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nam Comoedia non cothurnis assurgit, nec contra Tragoedia socculo ingreditur. Habet tandem omnis eloquentia aliquid commune.*

Interdum tamen et vocem Comoedia tollit. Horatius exemplum ex Terentio sumsit. Inveniuntur et talia quaedam apud Plautum, ut Aulul. IV, IX, 1. *Perii! Interii! Occidi! Quo curram, quo non curram? Tene, tene,*

Iratusque Chremes tumido delitigat ore: 94.
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. 95.
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque 96.
Proiicit ampullas et sesquipedalia verba. 97.

X.

Si curat cor spectantis tetigisse querela, 98.
Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto, 99.
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto. 100.
Ut ridentibus arridент, ita flentibus adflent 101.
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est 102.
Primum ipsi tibi; tum tua me infortunia laedent. 103.

Quem? Quis? nescio, nihil video, coecus eo, atque Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare. In quibus summa avari desperatio tragice expressa est: eaque mihi in memoriam revocant Euripidea *πῆ βῶ;* et Virgiliana *Quid loquor? aut ubi sum?* Aliud exemplum eiusdem Plauti hoc est ex Captivis III, v, 1. *Nulla sum. Nulla sum. Tota, tota occidi. cor metu mortuum est! Membra misere tremunt. Nescio unde auxilii, praesidii Perfugii mihi aut opum copiam comparem aut expetam. Tanta facta modo mira veris modis intus vidi.* Ubi legendum puto: *mira miris modis.* Sunt et alia hujus modi apud Plautum, in quibus interdum respexisse locum Romani Tragici videtur, fere ut Aristophanes in Euripide faciebat.

X.

Quid requiratur ad corda spectatorum tangenda. Quo modo poeta animum personarum induere debeat.

Si curat cor spectantis tetigisse querela. Supra emendavi *curas*, et mutavi distinctionem verborum. Favet meae distinctioni Acron: »*Si id agit, ut spectatorem flere cogat.* Hic versus et sequentibus iungi potest. *Si me vult flectere ad misericordiam, deponat elata verba.* Cor enim spectantis tangimus, quando idonea verba dolore proferimus, i. e. istae personae proiiciunt elata verba, si volunt auditores ad misericordiam flectere."

Ita flentibus adflent. Broukhusius annotavit verbum *adflere* etiam in lapide apud Gruterum Inscript. Dec. XV

Telephe vel Peleu, male si mandata loqueris, 104.
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum 105.
Vultum verba decent, iratum plena minarum, 106.

inveniri. Comparandi autem sunt versus Euripidei in Supplic. 180. *Τόν θ' ὑμνοποιὸν, αὐτὸς ἂν τέκῃ μέλη, Χαίροντα τίκτειν· ἢν δὲ μὴ πάσχῃ τόδε, Οὔτοι δύναιτ' ἂν, οἴκοθεν γ' ἀτώμενος, Τέρπειν ἂν ἄλλους· οὐδὲ γὰρ δίκην ἔχει.* Caeterum in annotatione mea pag. 51. emendavi locum Scholiastae Aristophanei. In eam annotationem turpis error irrepsit, quem neque ego neque Bergmannus deprehendimus: pro *τῶν ἀντὶ τῆς Τροίας Ἑλλήνων* scribendum erat, ut scripsi, *ἀντὶ τῆς Τροίας τῶν Ἑλλήνων.* In editione Dindorfiana legitur *τῶν Ἑλλήνων καὶ δηούντων.* Cum vocabulis *ἀποροῦντι τοῦ θεραπεύοντος* comparandum illud Demosth. Adv. Nicer. 56. *ἐβάδιζον γὰρ πρὸς αὐτὸν ὡς ἠσθένει καὶ ἔρημος ἦν τοῦ θεραπεύοντος τὸ νόσημα.* Ubi Beckerus volebat *θεραπεύσοντος.* In fragmentis Telephi Euripidei etiam hoc servatum est a Stobaeo: *Ἀγάμεμνον, οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων Μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμὸν, Σιγήσομαι, δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων.* Geelius hoc fragmentum in laudata Commentatione non omisit. Nunc putat Aristophanem in Acharnensibus eam particulam ante oculos habuisse. *Κἄν γε μὴ λέγω δίκαια, μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ, Ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν.* In his pro *κεφαλὴν* scribendum iudicat *σφαγήν.* De hasta *Peliade* hoc addendum, quod dixit Scholiasta Pindari ad Nem. VI, 90. duplice instructam fuisse cuspide, unoque ictu duo fecisse vulnera.

Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi. Melius erat, ut dixi: *me visne dolere? dolendum est Primum ipsi tibi.* Exempla repetiti in simili caussa verbi, quae supra afferre oblivisebar, etiam haec sunt. Hesiodus Op. et D. 353. *Τὸν φιλέοντα φιλεῖν καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι.* Ruhnkenius in Epistola Critica interpretatur *adesse*, ut apud Latinos. Sed veteres *προσεῖναί* accipiunt pro *προσιέναι.* Et hoc, puto, melius. Sententia est: Si quis ad te veniat amicitiae iungendae caussa, occurre illi. Paullus Epist. ad Romanos XII, 15. *Χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων.* Anthol. I, XII. *Ἄλλοτε μὲν κλαίοντι καὶ ἐστυγνωμένῳ ὄμμα Συγκλαίει, καὖθις σὺν γελόωντι γελᾷ.*

Male si mandata loqueris. In MS. Vlaming. *mala si mandata loqueris.*

Aut dormitabo. Plautus Mercat. I, II, 48. *Dormientes spectatores metuis ne e somno excites.*

Tristia moestum Vultum verba decent, iratum plena minarum. Concieci: *Tristia moestum, Laetum urbana decent.* Iuvat me Commentator Cruquianus: *Primum debet in animo*

Ludentem lasciva, severum seria dictu. 107.
Format enim natura prius nos intus ad omnem 108.
Fortunarum habitum; iuvat, aut impellit ad iram, 109.

concipere poeta vel tristem vel laetam personam, *deinde verbis idoneis uti secundum fortunae qualitatem.* Cum *plena minarum* confer Suetonium in Vita Lucani: *Multus in gloria tyrannicidarum ac plenus minarum.*

Ludentem lasciva, severum seria dictu. MS. D'Orvill. *Ludentes.* Pro *dictu*, Broukhusius coniiciebat *dicta.*

Format enim natura prius nos intus ad omnem Fortunarum habitum. Respicit hunc locum Quintil. Inst. Or. IX, 1, 19. *Natura prius est concipere animo res, quam enuntiare.* Et Quintilianus hanc Horatii Epistolam accurate legerat, ut legerat etiam Ciceronem et Graecos, in quorum scriptis idem hoc praeceptum saepe datum est. Quare miror, et alii mirati sunt, eundem Quintilianum Inst. VI, II, 25, dicere potuisse: *Quodsi tradita mihi sequi praecepta sufficeret, satisfeceram huic parti, nihil eorum, quae legi vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo: sed mihi in animo est, quae latent penitus, ipsa huius loci aperire penetralia; quae quidem non aliquo tradente, sed experimento meo, ac natura ipsa duce, accepi. Summa enim, quantum ego quidem sentio, circa movendos affectus, in hoc posita est, ut moveamur ipsi.* Tum Quintilianus hoc argumentum multis explicat, et deinde addit: *At quomodo fiat ut afficiamur? Neque enim sunt motus in nostra potestate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas φαντασίας Graeci vocant, nos sane visiones appellemus* sq. Denique totam disputationem ita finit: *Haec dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscumque sum vel fui, (nam pervenisse me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus sum, ut me non lacrymae solum deprehenderint, sed pallor et vero similis dolor.* Gesnerus pro clementi et modesto ingenio suo Quintilianum excusat; illud enim *de concipiendis imaginibus* non tam diserte apud Ciceronem vel vetustiorem quemquam expressum legi, licet res ipsa satis sit indicata. Strebaeus autem contendit Quintilianum insolenter fuisse gloriatum. Strebaei annotatio legitur ad Ciceron. de Oratore II, 45: neque Spaldingius ad l. l. Quintiliani reperit, quo defendat has ampullas in homine sano alioquin et prudente. Ego nunquam intelligere potui Quintilianum, tanto ingenio, doctrina et elegantia virum, ita sui ipsius potuisse oblivisci, ut talia scripserit. Quid? Non sufficit illi tradita sequi praecepta? Et quid nunc tradit, quod non traditum sit ab iisdem, quos memoriter tenebat? In animo ei est aperire quae latent? At quae aperit, omnibus nota sunt. Quaenam vero est summa illa, quid illud, quo omnia

Aut ad humum moerore gravi deducit et angit; 110.
Post effert animi motus interprete lingua. 111.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta, 112.
Romani tollent equites peditesque cachinnum. 113.

XI.

Interert multum, Davusne loquatur an heros, 114.
Maturusve senex, an adhuc florente iuventa 115.

redeunt, si affectus movere velis? *ut ipse prius moveare.* Magnum arcanum! Cuius gravitas etiam praefatione erat commendanda scilicet, *quantum ego quidem sentio!* Quis, sanae mentis, unquam aliter, sentiat? Vidimus quomodo Gesnerus Quintilianum excuset. Sed ipse Gesnerus sui argumenti levitatem tacite agnovit. Nam tacere non potuit, *rem ipsam apud Ciceronem satis indicari.* Et Quintilianus hanc disputationis partem ipse pro secundaria habet, cum dicit *tentabo etiam* sq. Equidem, ut alia mittam, quae contra totam hanc Capitis secundi partem, inde a verbis *Quodsi tradita mihi* — usque ad verba *vero similis color*, in medium afferre possem, omnia esse iudico spuria. Quibus deletis, vide quam pulchro ordine cuncta consequantur: *Namque in hoc eloquentiae vis est, ut iudicem non ad id tantum impellat, in quod ipse a rei natura duceretur, sed aut, qui non est, aut maiorem, quam est, faciat affectum. Haec est illa, quae δεινωσις vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio: qua virtute praeter alios plurimum Demosthenes valuit. Huic diversa virtus, quae risum iudicis movendo et illos tristes solvit affectus, et animos ab intentione rerum frequenter avertit, et aliquando etiam reficit, et a satietate vel fatigatione renovat. Quanta sit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Graecae alter Latinae eloquentiae principes, docent. Nam plerique Demostheni facultatem huius rei defuisse credunt, Ciceroni modum.*

Post effert animi motus. In MS. uno Leidensi *Post et certi.* Idem ab aliis notatum ex Codd. Reg. Paris.

Si dicentis erunt fortunis absona dicta. Cicero de Offic. I, 28. *Sed tum servare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit, et dicitur. Ut si Aeacus aut Minos diceret* Oderint dum metuant: *aut* Natis sepulcro est ipse parens: *indecorum videretur: quod eos fuisse iustos accepimus. At Atreo dicente, plausus excitantur.*

Fervidus; et matrona potens, an sedula nutrix; 116.
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli; 117.
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis. 118.

XI.

Poeta cuiusque personae conditionem, aetatem et patriam notet.

Intererit multum, Davusne loquatur an heros. Servius ad Aeneid. XII, 18 etiam citavit *an heros.* B. Gonodus, qui Epistolam Horatii Parisiis a. 1841 in lucem emisit, annotationibus et nova lectionum varietate auctam, praeferebat *Divusne* alteri *Davusne*, idque confirmari putat loco Plutarchi in libello *de comparatione Aristophanis et Menandri.* »Plutarque, (inquit) se plaint de ce qu'on ne peut distinguer dans le premier, si c'est un fils ou un pere, un villageois ou un homme de ville, un Dieu ou un heros qui parle." Si Plutarchus ita scripsisset, haberemus profecto magnum argumentum, Deos et Heroas in fabulis tam diverso sermone fuisse usos, quam senem et iuvenem, matronam et nutricem, mercatorem et rusticum. Sed inspiciamus ipsa Plutarchi verba T. IV, p. 423. ed. Wyttenbach. *Καὶ τοσαύτας διαφορὰς ἔχουσα καὶ ἀνομοιότητας ἡ λέξις* (Aristophanis) *οὐδὲ τὸ πρέπον ἑκάστῃ καὶ οἰκεῖον ἀποδίδωσιν· οἷον λέγω βασιλεῖ τὸν ὄγκον, ῥήτορι τὴν δεινότητα, γυναικὶ τὸ ἁπλοῦν, ἰδιώτῃ τὸ πεζὸν, ἀγοραίῳ τὸ φορτικόν· ἀλλ' ὥσπερ ἀπὸ κλήρου ἀπονέμει τοῖς προσώποις τὰ προστυχόντα τῶν ὀνομάτων· καὶ οὐκ ἂν διαγνοίης εἴτε υἱός ἐστιν, εἴτε πατὴρ, εἴτε ἄγροικος, εἴτε θεὸς, εἴτε γραῦς, εἴτε ἥρως, ὁ διαλεγόμενος.* Dicit igitur Plutarchus Aristophanem personis vocabula veluti sorte dedisse, ut dignosci non possit, filiusne loquatur an pater, rusticus an Deus, anus an heros.

Maturusve senex. Quod Bentleius volebat *maturusve*, idem legitur in editione Veneta a. 1477. Hanc ego vidi, sine titulo et numeris paginarum. In fine: *Horatii opere finis cum magna diligentia. Impressum per Philippum* Condam *patri in Veneciis dicante* Joanne mozenico *inclito duce* MCCCCLXXVII. die XV Septembris. P. Burmannus annotavit: »Editio rarissima et pretiosa neque a Bentleio adhibita. Primae Mediolanensi successisse Venetam 1478 dicit Fabricius Biblioth. Lat. Vol. I, p. 239, quam tamen haec Veneta praecessit."

Fervidus; et matrona potens. In MSS. D'Orvill. *at matrona potens.*

Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis. Cicero de Invent. I, 24. *Personis has res attributas putemus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Consideratur et in natione, patria, cognatione, aetate. Natione, Graius an Barbarus: patria, Atheniensis an Lacedaemonius: aetate, puer an adolescens, natu grandior an senex.*

XII.

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores, 156.
Mobilibusque decor naturis dandus et annis. 157.
Multa ferunt anni venientes commoda secum, 175.
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles 176.
Mandentur iuveni partes, pueroque viriles, 177.
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis. 178.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo 158.
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram 159.
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas. 160.
Imberbus iuvenis, tandem custode remoto, 161.
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi; 162.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper, 163.
Utilium tardus provisor, prodigus aeris, 164.
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix. 165.
Conversis studiis, aetas animusque virilis 166.
Quaerit opes et amicitias, inservit honori, 167.
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret. 168.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod 169.

XII.

Ante omnia varios mores pro varia aetate spectet.

Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis. Broukhus. ex MS. notavit *morabitur.* Et hoc alii in aliis codicibus viderant.

Imberbus iuvenis. In MS. Brenckm. *Inverbis.* Nota literarum permutatio.

Monitoribus asper. MS. D'Orvill. *monitoribus obex.*

Et amàta relinquere pernix. Vlaming. a manu prima *ad amata relinquere pernix.* Fortasse voluit *adamata*, ut putat Bergmannus.

Quod mox mutare laboret. In D'Orvill. uno *quod mox permutare la-*

Quaerit, et inventis miser abstinet ac timet uti. 170.
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat, 171.
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri, 172.
Difficilis, querulus, laudator temporis acti 173.
Se puero, castigator censorque minorum. 174.

XIII.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge, 119.
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem, 120.
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, 121.
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis: 122.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino, 123.
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes. 124.
Si quid inexpertum scenae committis, et audes 125.
Personam formare novam; servetur ad imum, 126.
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet. 127.

boret. MSS. apud Gonodum, alia *post*, alia *mox munire.*

Ac timet uti. MS. Broukhus. *et timet uti.*

Laudator temporis acti. In Vlaming. codice *laudator temporis apti.*

XIII.

Argumentum, verbi caussa Tragoediae, est vel vetus vel novum. Nova persona sibi ubique constet.

Honoratum si forte reponis Achillem. L. Bosius in Animadv. Latinis pag. 75 *honoratum* explicare conatus est. Praedicorvius coniecit: *More ratum si forte reponis Achillem*, atque illud *more ratum* explicat *fama celebratum.* Achilles autem *Homericus*, ut dixi, est qualem Homerus memoriae prodidit: adde, qualis apud Homerum agit et loquitur. Ita Cicero de Oratore II, 37. *Zethus ille Pacuvianus*, hoc est apud Pacuvium, ut statim in Cicerone sequitur: *Neoptolemus apud Ennium.*

Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino. N. Heinsius in margine posuit *fletibus.* Fortasse voluit: *Sit Medea ferox invictaque fletibus.* Quod sane bonam sententiam praebet. Sed quid tum fiet de *Ino?*

XIV.

Difficile est proprie communia dicere, tuque 128.
Rectius Iliacum carmen deducis in actus, 129.
Quam si proferres ignota indictaque primus. 130.
Publica materies privati iuris erit, si 131.
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem, 132.
Nec verbum verbo curabis reddere fidus 133.

XIV.

Argumentum, iam ab aliis tractatum, facilius est, quam non tractatum.

Nec circa vilem patulumque moraberis orbem. Iosephus Scaliger hunc locum interpretatus est in Castigatt. Catull. pag. 94, et in Epistola ad Cl. Puteanum pag. Epistol. 434. »Per *orbem*, ibi dicit, *κύκλον* intelligit; per *patulum*, quia, qui *κύκλῳ* docent, *κατὰ πλάτος* docent. *Vilem*, quia, ut nimis anxii animi desilire in arctum, ita proiecti et plebeii *κατὰ πλάτος καὶ παχικῶς* docere." Putabam *orbem* esse *orbitam* plane eandem, quam Homerus ivit primus et multi deinde euntes fecerunt vilem et patulam, orbitam communem, quae tam nota est, ut omnem amiserit novitatis gratiam. Talia sunt Virgilii Georg. III, 292. *Iuvat ire iugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo.* Iuvenalis Satyr. XIV, 36. *Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt, Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.* Sed inprimis huc facit Epigramma Callimachi, quod primus edidit D. Heinsius in Notis ad Horatium pag. 18, a Salmasio exscriptum e Codice Palatino et ad I. Scaligerum missum, quamquam Heinsius nomen Salmasii silentio transierit. Callimachus igitur: *Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελεύθῳ Χαίρω, τὶς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει. Μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον. οὔτ' ἀπὸ κρήνης Πίνω. σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.* In quibus notio *vilis et patuli* varie expressa est. Et fortasse Parthenius Phocensis, Homeromastix, ideo dixit *πηλὸν Ὀδυσσείην καὶ πάτον Ἰλιάδα*, teste Erycio, cuius Epigramma edidit Kusterus ad Suidam T. III, pag. 52, et repetiit vir doctus in Observ. Miscellaneis Novis anni 1741, pag. 123. Adde Commentatorem Cruquianum: *Si eam fueris artificiose imitatus, nec singula communi fide secutus, ita ut fere et verbis et eisdem sententiis utaris.* Ubi pro *communi* scribendum videtur *cum nimia.*

Nec verbum verbo curabis reddere

Interpres; nec desilies imitator in artum, 134.
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex. 135.

XV.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur. 179.
Segnius irritant animos demissa per aurem, 180.
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae 181.
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus 182.
Digna geri promes in scenam, multaque tolles 183.
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens. 184.
Ne pueros coram populo Medea trucidet, 185.
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus, 186.
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem. 187.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi. 188.

fidus Interpres. MS. Brenckm. *verbum ex verbo.* Vlaming. *verbo verbum.* Servius ad Aeneid. XI, 1. »More suo praetermisit (Virgilius) noctis descriptionem, quam transisse indicat praesens ortus diei: et hoc est, unde ait Horatius Art. Poet. 133. *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.*"

Nec desilies imitator in artum. Cod. Brenckm. *neque desilies.* D'Orvill. *desilias.*

Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex. Conferantur Cicero Epist. ad Diversos VIII, 16. *Ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.* Et Quintil. Instit. Orat. XII, 1, 1. *Sed initio pudor omittendi, quae promiseram, terruit: mox, ne puderem, per omnes difficultates animo me sustentavi.*

XV.

Omnia in scena ne oculis spectatorum exponantur.

Ipse sibi tradit spectator. Plautus in Pseudolo I, 1, 18. *Cape has tabellas; tute hinc narrato tibi.*

Multaque tolles Ex oculis, quae mox narret facundia praesens. Gesnerus ita interpretatur: »Intelligitur facundia narrantis servuli, supervenientis amici. Minime placent soliloquia seu personae loquentes, cum solae sunt in scena. Quis enim sanus hoc agit? Quis solus loquitur, nisi pauca, per summum affectus aestum?" Bilderdykius respondit: »Ecquis sanus ergo versus effutit? Tune satis sanus cum Germanis tuis, qui in scena veritatem naturae poscunt, non poeticam ac heroicam fictionem naturae cuiusdam altioris?" Supra ego conieci *quae vox narrabit nuntia.* Possis etiam scribere: *quae post narret vox nuntia.*

Ne pueros coram populo Medea trucidet. Multi scriptores, aliquid exquisitius captantes, praeferebant *populo coram.* Horatius Serm. I, IV, 95. *Te coram.* ubi potuisset *coram te.* Nepos in Epaminonda 4. *Diomedonte coram.* Conferatur Oudendorpius ad Suetonii August. 69.

Aut humana palam coquat exta. In MS. Vlaming. *coquat haesta.*

XVI.

De numero actuum et personarum.

Fabula, quae posci vult, et spectata reponi. MS. D'Orvill. *aut spectata reponi.*

Nisi dignus vindice nodus Inciderit. MS. Vlaming. *acciderit.*

XVII.

De officio chori.

Neu quid medios intercinat actus. In Codd. Vlaming. et D'Orvill. *intercidat.*

Et consilietur amice. MSS. Vlaming. et D'Orvill. *amicis*, supra syllabam *is* posito *e.*

Ille dapes laudet mensae brevis. Mensa *brevis*, quando coena non *ducitur.* Quintilian. Instit. Orat. I, XII. *Tempora somno et conviviorum mora conterunt.*

Ut redeat miseris, abeat Fortuna

XVI.

Neve minor, neu sit quinto productior actu 189.
Fabula, quae posci vult et spectata reponi; 190.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus 191.
Inciderit, nec quarta loqui persona laboret. 192.

XVII.

Actoris partes chorus officiumque virile 193.
Defendat, neu quid medios intercinat actus, 194.
Quod non proposito conducat et haereat apte. 195.
Ille bonis faveatque et amet peccare timentes, 196,197.
Et regat iratos et consilietur amice. 196,197.
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem 198.

Iustitiam, legesque et apertis otia portis. 199.
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret, 200.
Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis. 201.

CAPUT TERTIUM.

PRAECEPTA GENERALIA.

I.

Ingenium misera quia fortunatius arte 295.
Credit, et excludit sanos Helicone poetas 296.
Democritus, bona pars non ungues ponere curat, 297.
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat. 298.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetae, 299.
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam 300.
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus, 301.

superbis. Dei irati *discedunt*, propitii *redeunt*. Valerius Flaccus Argon. II, 485. *Verum o si redeant Phrygibus iam numina.* Fortunam *reducem* ex numis saepe viri docti explicaverunt.

I.

Atque his de heroico et dramatico carmine dictis, communes quaedam subiunguntur animadversiones, veluti hic De Natura et Arte iungenda.

Bona pars non ungues ponere curat, Non barbam. Tatianus adversus Graecos pag. 87, de fictis philosophis Cynicis: *θατέρου τῶν ἄμων ξαμελοῦσι, κόμην ἐπιειμένοι, πωγοτροφοῦσιν, ὄννχας θηρίων περιφέροντες.*

Si tribus Anticyris caput insanabile numquam Tonsori Licino commiserit. Commiserit caput, insania laborans, Licino, ut curetur, non ut tondeatur. Horatius dixerat: multi nomen poetae eo affectant, quod barbam non ponunt, neque ungues resecant. Tollere aliis barbam et ungues erat tonsorum. Si nunc Licinum unice pro *tonsore* accipis, dicis: multi non ponunt barbam, nam nomen poetae nanciscuntur, si crines in capite nunquam tondeantur. Agitur de medenda insania, quod etiam sequentia ostendunt, *O ego laevus Qui purgor bilem.* Sententia enim est perspicua:

Qui purgor bilem sub verni temporis horam! 302.
Non alius faceret meliora poëmata. Verum 303.

ille poeta nunquam se commisit medico, ut purgaretur bilem, ego purgor quotannis. Ille manet insanus, ego sanus, et propterea non facio bonos versus. Horatius Licinum vocat *tonsorem*, quem hic vocare debuisset *medicum*. Tonsores et medici non erant illi quidem iidem, ut neque *tonstrinae* et *medicinae*, habebaturque medicorum ars paullo honoratior. Sed credibile est tonsores saepe etiam partes egisse medicorum vel chirurgorum. Utraque ars cognatione quadam coniuncta esse censebatur. Eadem opinio diu post in recentiore Europa viguit, neque hodie apud nos ita antiquata est, ut non interdum *tonsores* appellentur *chirurgi*. Tonsores Romae morbos quosdam externos curasse, apparet, ni fallor, ex proverbio apud Horatium Serm. I, VII, 3. *Omnibus et lippis notum et tonsoribus.* Quamquam illud proverbium vulgo aliter explicetur, credo agi de officina, in qua tonsor oculos lippientium inungebat. Si Horatius per *lippos* tabernam medicorum cogitasset, scripsisset potius: *Omnibus et medicis notum et tonsoribus.* Horatius dicit: *caput commiserit Licino. Committimus* alicui aliquid, rem plerumque non levem, homini perito. Phaedrus Fab. I, 14. *Qui capita vestra non dubitatis credere, Cui calceandos nemo commisit pedes.* Nam erat ille *malus sutor*. De *bono* sutore non ita dixisset. Nam in eo non est periculum, ne rem commissam minus recte curet. Licinus fuit excellens tonsor, et qui simul morbos nonnullos mederi sciret. Iulius Caesar eum, nulla alia re commendatum, nisi quod Pompeium acerbe odisset, non fecisset senatorem. Et Licinus iam erat dives, quum fiebat senator. Quas divitias ex sola tondendi arte vix sibi comparare potuisset. Novimus hominem ex Porphyrione: »Lycinus dicebatur tonsor opulentissimus, quem postea dicunt factum senatorem a Caesare, quia dicebatur nimium odisse Pompeium." Commentator: »Licinus nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est Epitaphium: Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo, Pompeius parvo; quis putet esse Deos?" De hoc Epigrammate vide Burmann. in Anthol. T. I, pag. 205. Quamquam dictu difficile sit, quis ille fuerit Licinus, diversae autem sunt opiniones interpretum ad Iuvenalem, Persium, Suetonium, hic Licinus non videtur fuisse libertus Augusti, unus ex iis, quos, ut narrat Suetonius in August. 67, *in honore et usu maximo habuit.* Si hic Licinus tonsor Augusti fuisset, Horatius de eo non cum contemtu loqueretur. Neque ille cuivis insano medicinam fecisset, vel, ut hic volunt interpretes, caput totondisset.

Sub verni temporis horam. Poëta in Anthol. T. I, p. 139. *Mutat terra vices, autumni temporis auras Laeta*

Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum 304.
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi. 305.
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo 306.
Scribendi recte; quid formet alatque poetam, 309,307.
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat
error; 308.
Unde parentur opes: sapere est et principium
et fons. 307,309.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae. 310.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis, 312.

vocat. Qui locus N. Heinsium movisse videtur ut hic coniiceret: *sub verni temporis auram.* Burmannus putat istam Heinsii coniecturam illo poetae loco egregrie confirmari. Ego rationem utriusque loci valde esse diversam arbitror.

Nil tanti est. In omnibus MSS. et editionibus *nil.* Imprudentia igitur factum est, ut supra a me editum sit *Non tanti est.*

Munus et officium, nil scribens ipse, docebo Scribendi recte. In vulgatis *Munus et officium, nil scribens ipse, docebo* dura est ellipsis. Germani et Franci interpretes taciti supplerunt, docebo *scribere.* Possis etiam, docebo *alios:* quo facto post *munus et officium* cogitatur *scribendi.* Wyttenbachius Opusc. T. II, pag. 163. »Enimvero frugi homo, e secta Horatii! qui ridendo verum dicebat, scribentes corrigebat, eosque *Munus et officium nil scribens ipse docebat.*" Horatius iunxit *munus et officium*, ut Cicero *officium et munus* de Oratore II, 85. *Singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera.* Atque hic mihi in mentem veniunt ea, quae poeta noster scripsit Epist. II, 1, 111. *Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus, Invenior Parthis mendacior; et prius orto Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.* In his Horatius sua ipsius verba respexisse videtur: »ipse ego, qui in Epistola ad Pisones affirmavi, me nullos versus scribere." Scripta igitur fuit haec Epistola prius quam altera illa.

Quid formet alatque. Ita conieci pro *alat formetque.* Atque illud reperitur in MS. Brenckm. Adde Quintil. Instit. Orat. I, 1. *Memoria praecipue formatur atque alitur exercitatione.*

Sapere est et principium et fons. Cicero in Oratore 21. *Est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia.* Idem de Oratore III, 16. *Hinc discidium illud extitit quasi linguae atque cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent.*

Qui didicit, patriae quid debeat,

Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes, 313.
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae 314.
Partes in bellum missi ducis; ille profecto 315.
Reddere personae scit convenientia cuique, 316.
Verbaque provisam rem non invita sequentur. 311.

et quid amicis. Muretus in Orat. VIII. loquens de Ciceronis Officiis: »Continent enim praecepta virtutis, docent quomodo unusquisque in omni parte vitae gerere se debeat, quid a quoque postuletur, quid quemque deceat, quid patriae praestandum sit, quid parentibus, quid propinquis caeterisque amicis, quid universo hominum generi."

Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae Partes in bellum missi ducis. Cicero de Oratore I, 14. *Quaero enim, num possit aut contra imperatorem dici sine rei militaris usu, aut saepe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia: num apud populum de legibus iubendis, aut vetandis: num in senatu de omni reipublicae genere dici sine summa rerum civilium cognitione et prudentia: num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus inflammandos, vel etiam exstinguendos sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur.* In MS. Brenckm. *quod iudicis officium, et quae Partes.* Pro *in bellum* Cod. Moreti, notante Heinsio, *in bello.*

Verbaque provisam rem non invita sequentur. Cicero de Oratore II, 34. *Eae* (res et sententiae) *vi sua verba parient, quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur.* Idem de Finibus III, 5. *Cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt.* Ruhnken. in Elogio Hemsterhusii pag. 23. »Vero Critico vim ipsius sententiae, et sermonis proprietatem bene perspectam, facile id, quod res postulat, suppeditare. Hic etiam locum habere illud Asinii Pollionis: *Male eveniat verbis, nisi rem sequantur:* vel illud Horatii, ex Asiniano expressum: *Verbaque provisam rem non invita sequentur.*" Plutarchus in Libro *Utrum Athenienses bello* caet. Moral. T. II, pag. 425. narrat Menandrum, rogatum an Comoediam nondum composuisset, respondisse: *Νὴ τοὺς θεούς ἔγωγε πεποίηκα τὴν κωμῳδίαν, ὡκονόμηται γὰρ ἡ διάθεσις, δεῖ δὲ αὐτῇ τὰ στοιχεῖα ἐπάσαι, ὅτι καὶ αὐτοὶ τὰ πράγματα τῶν λόγων ἀναγκαιότερα καὶ κυριώτερα νομίζουσιν.* Idem fecerat Maternus apud Tacitum de Corrupta Eloquentia Dialogo 3. *Hanc enim tragoediam disposui iam, et intra me ipse formavi.* Wyttenbachius ad l. l. Plutarchi Horatium non omisit, sed versum imprudens citavit *Verbaque provisam rem haud invita sequentur.*

II.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo 323.
Musa loqui, praeter laudem, nullius avaris. 324.
Romani pueri longis rationibus assem 325.
Discunt in partes centum diducere. Dicat 326.
Filius Albini: Si de quincunce remota est 327.
Uncia, quid superat? Poteras dixisse. Triens. Eu! 328.
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit? 329.
Semis. At, haec animos aerugo et cura peculi 330.
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi 331.
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso? 332.

III.

Aut prodesse volunt aut delectare poetae. 333.

II.

Graeci in utraque excelluerunt. Romani minus, idque propter perversam puerorum educationem.

Discunt in partes centum diducere. Cod. Brenckm. *In partes centum discunt diducere.*

Poteras dixisse. Triens. Eu! Commentator: »Poteras, quia doctus es hanc artem. *Eu.* recte, bene. Hoc dicit is, qui rogatus fuerat." Legendum *a quo rogatus fuerat.* Pro *eu* in editione illa Veneta *en.*

At haec animos aerugo et cura peculi. Longinus de Sublim. § 44. φιλαργυρία μὲν νόσημα μικροποιόν. Memoratu dignus est locus Plutarchi de Superstit. T. II, pag. 652. Ὑπολαμβάνει τις τὸν πλοῦτον ἀγαθὸν εἶναι μέγιστον; τοῦτο τὸ ψεῦδος ἰὸν ἔχει, νέμεται τὴν ψυχὴν, ἐξίστησιν, οὐκ ἐᾷ καθεύδειν, οἴστρων ἐμπίπλησιν, ὠθεῖ κατὰ τῶν πετρῶν, ἄγχει, τὴν παῤῥησίαν ἀφαιρεῖται. In quibus colorem deprehendere mihi videor poeticum, facilique opera in metrum iambicum ea redigi posse arbitror. Pro *at* longe melius iudicavi *et.* Apponere oblitus sum locum Ciceronis de Divinat. II, 59. *Totas noctes somniamus; neque ulla est fere, qua non dormiamus: et miramur, aliquando id, quod somniarimus, evadere?* Ovidius Amor. III, VIII, 1. *Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?* ubi plura Heinsius dedit.

Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae. 334.
Quidquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta 335.
Percipiant animi dociles teneantque fideles: 336.
Omne supervacuum pleno de pectore manat. 337.
Ficta voluptatis caussa sint proxima veris. 338.
Nec, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi, 339.
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo. 340.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis; 341.
Celsi praetereunt austera poëmata Rhamnes: 342.
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, 343.
Lectorem delectando pariterque monendo. 344.
Hic meret aera liber Sosiis; hic et mare transit, 345.
Et longum noto scriptori prorogat aevum. 346.

IV.

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus: 347.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens, 348.

III.

Poeta utile dulci misceat.

Ut cito dicta Percipiant animi dociles. In MSS. Brenckm. *excipiant.*

Omne supervacuum pleno de pectore manat. Fere ut Quintil. Instit. Orat. II, 5. *Nec quae dicentur, superfluent aures.*

Neu pransae Lamiae. N. Heinsius coniecisse videtur *prensae.*

Et longum noto scriptori prorogat aevum. Notus plus significat, quam nobis interdum significare videtur. Horat. Carm. I, II. *Vivet extento Proculeius aevo, Notus in fratres animi paterni.* Sueton. de Illustr. Gramm. 10. *Capito Atteius, notus Iureconsultus.* Conferatur Burm. ad Anthol. T. II, pag. 198.

IV.

Nemo est quidem perfectus poeta. Studeat tamen, quantum possit, perfectioni.

Nec semper feriet, quodcunque minabitur arcus. N. Heinsius ex MS.

Poscentique gravem persaepe remittit acutum; 349.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus. 350.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis 351.
Offendar maculis, quas aut incuria fudit, 352.
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est? 353.
Ut scriptor si peccat idem librarius usque, 354.
Quamvis est monitus, venia caret; et citharoedus 355.

notavit *quocunque*. Cicero de Divinat. II, 59. *Quis est enim, qui totum diem iaculans, non aliquando collimet?* Muretus in Variis Lect. XVII, 10, ita expressit: *Sed ne optimi quidem iaculatores semper collimant.*

Aut humana parum cavit natura. In MS. Vlaming. *patrum cavit natura.*

Quid ergo est? Cicero de Oratore I, 14. *Quid ergo est?* Seneca de Constantia 11. *Quid ergo est?* In MS. Brenckm. *est* a manu secunda additum.

Quamvis est monitus. Commentator: »*Quamvis est*, pro *quamvis sit*, propter cacemphaton, ut Maro: *quamvis sit rustica Musa.*" Acron: »Pro eo quod est *quam iussit* (l. *quamvis sit*) propter κακέμφατον, ut Maro: *quamvis est rustica Musa.*" In Commentatore legendum: ut Maro: *quamvis est rustica Musa.* Atque ita in optimis Virgilii MSS. apparet. Scholiastae volunt et Virgilium scripsisse *quamvis est*, ne, si scripsisset *quamvis sit*, iniuriam pudori inferret. Iam quaeritur quid turpiculum in *quamvis sit* latere possit. Baxterus putabat hoc *quamvis sit* idem sonare ac si quis dicat *quam pisit.* Equidem puto κακέμφατον esse in verbo *visio*, *visire*. Ex *quamvis sit* effici potest *quam vissit*, vel pronuntiatione paullo molliore *visit. Visire* est ὀνοματοπεποιημένον, et significat *flatum ex ventre emittere sine crepitu.* Quia est verbum a sono fictum, commune multarum linguarum invenimus. In Lexicis affertur auctoritas Lucilii, quamquam Reuvensius ibi ex MSS. Parisiensibus vulgato *visire* praeferat *tussire.* Fortasse *tussire* corruptum est ex *vissire.* Et Ios. Scaliger ad Catull. pag. 38 Glossaria attulit: *Βδέσμα* seu *βδεσμὸς visium. Βδεῖν visire.* Cicero Epist. ad Diversos IX, 22. *Igitur in verbis honestis obscena ponimus. Quid enim? non honestum verbum est divisio? At inest obscenum, cui respondet* intercapedo. In *divisio* nimirum est *visio*, in *intercapedo* est *pedo.* Iam Scaliger locum Ciceronis rectissime interpretatus est, et Graevius eodem modo, ni fallor, locum Acronis accepit, quo ego accepi. Verba Graevii apponam: »Obscenitas hic consistit in κακεμφάτῳ, ut recte monuit Scaliger ad Catullum. Nam si in *divisio* exteratur prima syllaba, remanet *visio*; quod Latinis significat *foedum corporis strepitum edo.* (accuratius Scaliger: Duo recte exprimunt Graeci, πορδήν, si cum sonitu: βδεσμὸν, si nares potius quam aures feriat). Propter eandem caussam Acron Horatii interpres ad hunc locum de Arte Poetica *quamvis est monitus* notat: »Pro eo quod est, *quamvis sit*, propter κακέμφατον, ut Maro *quamvis est rustica Musa.*" Interea nimiam esse Grammatici religionem iudico. Nam quoties Romani utebantur *visit* a *visere?* Si pronuntiatio propter discrimen declinationis non plane fuerit eadem, non multum tamen diversa fuisse videtur, ut quantitas in ultima est eadem, sive dicas *visit* a *visire*, sive *visit* a *visere.* De Cacemphato etiam est annotatio Servii ad Aeneid. I, 193, non intellecta a Barlando. Servius: »*Cum navibus.* Cacemphaton in sermone, quod fit, si particulam *cum n* litera sequatur." Barlandus cacemphaton ponit in repetitis *um.* Nam Virgilius dixerat *numerum cum navibus aequet.* Imo veteres pronuntiabant *con navibus.* Ergo accipimus *conna*, quasi femininum *cunni.* Hinc illud apud Ciceronem Epist. ad Diversos IX, 22. *Quod vulgo dicitur* cum nos te voluimus convenire, *num obscenum est?* et Quintil. Instit. Orat. VIII, 3, animadvertit *cum hominum notis* non deformiter sonare, deformiter autem *cum notis hominibus.*

Cum risu miror. Appuleius alicubi in Apologia scripsit: *cum risu succenseo.*

Quandoque bonus dormitat Homerus. Franci: *quand il arrive au bon Homere de sommeiller.* Wielandus illud *bonus* non expressit.

Verum operi longo fas est obrepere somnum. In MS. D'Orvill. *abrumpere somnum.* Donatus in Praefatione ad Eunuchum Terentii cogitabat hunc locum: *ut nusquam dicas longitudine operis Terentium dormitasse.* Bentleius affirmaverat omnes Hieronymi editiones habere *Verum operi longo fas est obrepere somnum.* Carolus Fea hoc non verum esse animadvertit de editione Valler. a. 1735. Sed Bentleius eam editionem non viderat, quum Horatium suum edebat a. 1711.

Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem: 356.
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille, 357.
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem 358.
Indignor quandoque bonus dormitat Homerus. 359.
Verum operi longo fas est obrepere somnum. 360.

V.

Ut pictura, poesis: erit, quae si propius stes 361.

Te capiet magis, et quaedam, si longius adstes. 362.
Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri, 363.
Iudicis argutum quae non formidat acumen: 364.
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit. 365.

VI.

O maior iuvenum, quamvis et voce paterna 366.
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum 367.
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus 368.
Recte concedi: Consultus iuris et actor 369.
Caussarum mediocris abest virtute diserti 370.
Messalae, nec scit quantum Cascellius Aulus, 371.
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis 372.
Non homines, non Dî, non concessere columnae. 373.

V.

Carmen undique et intus spectari ne reformidet.

Ut pictura, poesis. Quod accidit in contemplatione tabularum pictarum, idem accidere solet in contemplatione carminum. Haec nimirum cominus, illa eminus spectata magis placent. Ulterius comparatio non est proferenda. Ab Horatiana comparatione diversa est Simonidea, quam memoravit Plutarchus *Utrum Athenienses* caet. T. II, p. 421. *Πλὴν ὁ Σιμωνίδης, τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσαγορεύει, τὴν δὲ ποίησιν, ζωγραφίαν λαλοῦσαν. ἃς γὰρ οἱ ζωγράφοι πράξεις ὡς γενομένας δεικνύουσι, ταύτας οἱ λόγοι γεγενημένας διηγοῦνται καὶ συγγράφουσιν.* Diversa ratio comparationis apparet ex adiectis ab Horatio et Simonide verbis.

VI.

Nam mediocris poeta est negotium intolerabile.

Hoc tibi dictum Tolle memor. Cicero de Oratore II, 118. *Quos quidem locos (vobis hoc, Cotta et Sulpici, dico) paratos atque expeditos habere debetis.*

Recte concedi. Consultus iuris et actor. In Cod. Vlam. *Recte concedi. At consultus iuris et actor.*

Sed tamen in pretio est. Cod. Vlaming. *In pretio tamen est.*

Non homines, non Dî, non concessere columnae. MSS. quaedam *Non Dî, non homines, non concessere columnae.* Idque honestius et magis usitatum. Livius V, 49. *Sed Diique et homines prohibuere redemtos vivere Romanos.* Sic vulgo dicitur *rerum divinarum humanarumque cognitio.* Et omnino melior descendit gradatio *Dî, homines, columnae.* Praeterea si quid sono tribuendum, sonat suavius *Non Dî, non homines*, quam *Non homines, non Dî.*

Ut gratas inter mensas symphonia discors. Fortasse *symphonia discors* aliter accipi potest, quam Horatius volebat. Nam si symphonia sit ex variis instrumentis et variis modis, esse debet discors concordia, et discordia concors. Ita Quintil. Instit. Orat. I, 10. *Dissimilium concordia, quam vocant ἁρμονίαν.*

Sic animis natum inventumque poema iuvandis. Adde locis supra a me allatis Quintil. Instit. Orat. V, XIV, 32. *Ut ea nasci et ipsa provenire natura non manu facta, et arte suspecta, magistrum fateri ubique videatur.*

VII.

Et tamen unusquisque versus facit, quamvis non didicerit, neque aliorum iudicium cognoscit.

Census equestrem Summam nummorum. Cod. Vlaming. *summa nummorum.*

Tu nihil invita dices faciesve Minerva. MS. Brenckmann. *facies dicesve.*

Ut gratas inter mensas symphonia discors 374.
Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver 375.
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis: 376.
Sic animis natum inventumque poema iuvandis, 377.
Si paullum a summo decessit, vergit ad imum. 378.

VII.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis, 379.
Indoctusque pilae discive trochive quiescit, 380.
Ne spissae risum tollant impune coronae: 381.
Qui nescit, versus tamen audet fingere! Quidni? 382.
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem 383.
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni. 384.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva; 385.
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim 386.

Scripseris, in Metii descendat iudicis aures, 387.
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum 388.
Membranis intus positis. Delere licebit, 389.
Quod non edideris; nescit vox missa reverti. 390.

VIII.

Silvestres homines sacer interpresque deorum 391.
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus, 392.
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones: 393.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis, 394.
Saxa movere sono testudinis et prece blanda 395.
Ducere quo vellet: fuit haec sapientia quondam, 396.
Publica privatis secernere, sacra profanis, 397.
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis, 398.
Oppida moliri, leges incidere ligno: 399.
Sic honor et nomen divinis vatibus atque 400.

VIII.

Miseri homines, qui Poesin ita tractent, cum praesertim ea sit res tam vetus, utilis et venerabilis.

Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus. In Cod. D'Orvill. *Caedibus ex foedo victu.*

Dictus et Amphion. MS. Brenckm. *Doctus et Amphion.*

Et prece blanda Ducere quo vellet. Nemo in hac caussa utitur vocabulis *prece* et *precari*, sed *suadere*, *diserte loqui*, *canere*, aliisque similibus. Quod Horatius posuit Epist. II, I, 135. *Poscit opem chorus et praesentia numina sentit; Coelestes implorat aquas docta prece blandus*, hoc longe esse aliud quivis videt. Nam chorus Deos precatur ut mittant pluviam.

Fuit haec sapientia quondam. Cicero de Oratore I, 9. *genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis potius quam disertorum oratione delinitum, se oppidis moenibusque sepsisse.* Quintil. Instit. Orat. II, XV, 30. *Civilis autem scientia idem quod sapientia est.* Idem II, XVI, 9. *Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota.*

Carminibus venit. Post hos insignis Homerus 401.
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella 402.
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes, 403.
Et vitae monstrata via est, et gratia regum 404.
Pieriis tentata modis, ludusque repertus, 405.
Et longorum operum finis: ne forte pudori 406.
Sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo. 407.

IX.

Natura fieret laudabile carmen an arte, 408.
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena, 409.
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic 410.

Post hos insignis Homerus. Quod sequitur *mares animos in Martia bella Versibus exacuit* tam ad Homerum refertur quam ad Tyrtaeum. Errant qui accipiunt *Post hos Homerus venit.* Homeri carmina semper in animos Graecorum eam vim habuere, ut legentes ad virtutem bellicam, praesertim contra barbaros in Asia praestandam, incitarentur. Et fieri potuit, ut Solon et Pisistratidae eo quoque consilio carmina Homerica collegerint, ut amor Graecorum erga patriam, legendis maiorum laudibus, incenderetur. Videatur Fridericus Schlegelius in Recitationibus de Historia veterum ac recentiorum literarum. Si quem offendat *Homerus Tyrtaeusque exacuit*, facili opera corrigi potest: *Post hos insignis Homerus Tyrtaeusque mares animos in Martia bella Versibus exacuere: datae per carmina sortes.*

Ne forte pudori Sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo. Horatius aliis verbis in Epist. II, I, 118 sq. laudes rei poeticae celebrat, et de choro dicit: *Poscit opem chorus, et praesentia numina sentit, Coelestes implorat aquas docta prece blandus, Avertit morbos, metuenda pericula pellit, Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum.* Ubi multo elegantius legeretur *Impetrat et pacem, et locupletat frugibus annum.*

IX.

Sed facultas poetica non sine magno labore comparatur. Sine eo fiunt poetae inepti, quales hodie sunt multi.

Natura fieret laudabile carmen an arte. N. Heinsius ex Cod. Moreti notavit *mirabile.*

Nec rude quid possit video ingenium. Recte Bentleius commendavit

Altera poscit opem res et coniurat amice. 411.
Qui studet optatam cursu contingere metam, 412.
Multa tulit fecitque puer; sudavit et alsit, 413.
Abstinuit Venere et vino: qui Pythia cantat 414.
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum. 415.
Nec satis est dixisse: »Ego mira poemata pango: 416.
»Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est, 417.
»Et, quod non didici, sane nescire fateri." 418.

X.

Ut praeco ad merces turbam qui cogit emendas, 419.
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta 420.
Dives agris, dives positis in foenore nummis. 421.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit, 422.
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris 423.

possit prae vulgato *prosit*. In margine Cod. D'Orvill. etiam annotatum erat *possit*. Et *rude ingenium* nunquam *prodest*.

Qui studet optatam cursu contingere metam. Heinsius ex Cod. Moret. attulit *curru*. De sententia conferatur Quintil. Instit. Orat. V, x, 122. *Sed non magis hoc sat est, quam palaestram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis ante omnia natura iuvatur, sicut contra ne illa quidem satis sine arte profuerint.*

Ego mira poemata pango. Muretus in Orat. XII. *Isti non ferendi, qui ab omni eruditione imparati, quasi satis sit dixisse*, Ego pulchra poemata pango, *audent se cum eis componere.*

Et, quod non didici, sane nescire fateri. In MS. D'Orvill. *sane me.*

X.

Et tamen, si poeta meus sit dives, laudatur ab adulatoribus. A prudentibus autem et candidis hominibus ridetur.

Assentatores iubet ad lucrum ire poeta. Gronovio teste in Codice Pircheim. *Assentatores lucrum iubet ire poeta.*

Et spondere levi pro paupere, et eripere atris Litibus implicitum. I. Geelius eleganter coniecit: *Et spondere velit pro paupere*. Putabat *velle* propemodum requiri, et optime cum *possit* coniungi. Non enim satis

Litibus implicitum, mirabor si sciet inter 424.
Noscere mendacem verumque beatus amicum. 425.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui, 426.
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum 427.
Laetitiae: clamabit enim, Pulchre! bene! recte! 428.
Pallescet super his; etiam stillabit amicis 429.
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram. 430.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt 431.
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic 432.
Derisor vero plus laudatore movetur. 433.
Reges dicuntur multis urguere cululis 434.
Et torquere mero, quem perspexisse laborant 435.
An sit amicitia dignus: si carmina condes, 436.
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. 437.
Quinctilio si quid recitares, Corrige, sodes, 438.

est habere pecuniam. Voluntas dandi accedat oportet.

Noscere mendacem verumque beatus amicum. Hieronymus Suares Barbosa Epistolam ad Pisones edidit Coimbrae a. 1791, hoc titulo: *Poetica de Horacio traduzida e explicada*. Is post hunc versum collocabat vs. 434, 435, 436, 437. Horatium ergo hoc ordine posuisse arbitratur: *Si vero est unctum qui recte ponere possit, Et spondere levi pro paupere, et eripere atris Litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-Noscere mendacem verumque beatus amicum. Reges dicuntur multis urguere cululis, Et torquere mero, quem perspexisse laborant, An sit amicitia dignus: si carmina condes, Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.*

An sit amicitia dignus. In MS. Brenckm. *amicitie*. Voluisse puto *amicitiae*. Genitivum cum hoc adiectivo, ut Graeci faciunt, iungi notum est. Vide v. c. N. Heinsium ad Ovidii Trist. IV, III, 57. Et propter exemplum cogitari debet Virgilianum: *Magnorum haud unquam indignus avorum.*

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. Qui ita sub aliena forma latent, dicuntur *falsi*, nempe qui non sunt, quod esse videntur. Iupiter *sub olore* latens, est *falsus olor*. Amici isti adeo essent *falsae vulpes*. Viderentur *vulpes*, revera essent homines candidi. De vocabulo et re

Hoc, aiebat, et hoc: melius te posse negares, 439.
Bis terque expertum frustra, delere iubebat, 440.
Et male tornatos incudi reddere versus. 441.
Si defendere delictum quam vertere malles, 442.
Nullum ultra verbum aut operam sumebat inanem, 443.
Quin sine rivali teque et tua solus amares. 444.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes, 445.
Culpabit duros, incomtis allinet atrum 446.
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet 447.
Ornamenta, parum claris lucem dare coget, 448.
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit; 449.
Fiet Aristarchus; non dicet, Cur ego amicum 450.
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducunt 451.
In mala derisum semel exceptumque sinistre. 452.

XI.

Ut mala quem scabies aut morbus regius urguet, 453.
Aut fanaticus error et iracunda Diana, 454.
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam, 455.
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur. 456.

nonnulla annotavit Burmann. ad Anthol. T. I, pag. 143.

Quinctilio si quid recitares. Horatius Quinctilium Varum laudat Carm. I, 24. ita, ut *nudam veritatem* nullum ei unquam parem esse inventuram dicat.

Delere iubebat. Error in MS. Duk. *dolere.*

Et male tornatos incudi reddere versus. Eldikius coniecit: *Et male adornatos incudi reddere versus.*

Si defendere delictum quam vertere malles. Si verum sit *perdere*, accipi etiam potest, quo modo Horatius dicit Epist. II, 1, 85. *Quae Imberbi didicere, senes perdenda fateri.*

Operam insumebat inanem. Dicitur et *operam consumere.* Vide Cortium ad Sallust. Iugurth. 25.

Versus reprehendet inertes. Ad haec et sequentia explicanda facit Cuperi Observ. I, 15.

Hic, dum sublimis versus ructatur et errat, 457.
Si veluti merulis intentus decidit auceps 458.
In puteum foveamve, licet »Succurrite" longum 459.
Clamet, »Io cives"; non sit qui tollere curet. 460.
Si curet quis opem ferre et demittere funem, 461.
Quî scis an prudens huc se deiecerit, atque 462.

XI.

Et risu dignus est. Nam, dum se valde intelligentem et magni ingenii putat, insanit.

Hic, dum sublimis versus ructatur. Similis sententia invenitur in Tatiani Oratione ad Graecos pag. 92. *Κεχηνότες δὲ εἰς οὐρανὸν, κατὰ βαράθρων πίπτετε.*

Atque ita Horatii Epistola ad Pisones aptissime connexa sibi per has partes cohaerere videtur. Omnia iam aequo et facili tramite decurrunt. An et aliis sic videatur, non scio. His, ut de vinculo disputationis melius iudicare possint, singula argumenta propono coniuncta:

Carmen sit varium, et tamen unum. Multi illud varium in primis affectant, sed propterea saepe fiunt ridiculi. Nimirum artem universam non tenent. Ita carmen locis quibusdam, sane pulchris, distinguunt, sed alienis. Et particulae nonnullae elegantiores totum carmen non elegans faciunt. Prius quam igitur aliquis opus aggrediatur, suas vires consulat. Tum nec bona carminis dispositio nec verborum delectus desiderabuntur. Quid sit bona dispositio, ostendit Homerus. In verbis pulchrum est alia novare, alia ex antiquo tempore quasi in vitam revocare. Dixi praesertim de carmine Heroico. Metrum assignavit Homerus. Sunt et alia carmina suum quodque metrum et argumentum habentia, Elegiacum, Lyricum, Iambicum. Metrum Iambicum regnat in Carmine Dramatico. Ratio metri Iambici apud Graecos et Romanos. Romani in eo negligentiores. Ea negligentia exemplis Graecorum est corrigenda. Origo et progressus Tragoediae et Comoediae apud Graecos et Romanos. Romani hic etiam non satis curae adhibuerunt. Ex Tragico carmine ortum est Satyricum. Quid in eo, quod ad dicendi genus et decorum, sit observandum. Unde materia Satyrici carminis sumenda. De Musica et ornamentis in carmine Dramatico. Ea cum populi conditione fuere mutata, sicuti et lingua. In Dramatibus omnia sint recte descripta ac disposita. Discrimen inter sermonem Tragicum et Comicum. Quid requiratur ad corda spectatorum tangenda. Quomodo poeta animum personarum induere debeat. Poeta cuiusque personae conditionem, aetatem, patriam notet. Ante omnia varios mores pro variis

Servari nolit? dicam, Siculique poetae 463.
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi 464.
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam 465.
Insiluit; sit ius liceatque perire poetis: 466.
Invitum qui servat, idem facit occidenti: 467.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, iam 468.
Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem. 469.
Nec satis apparet cur versus factitet: utrum 470.
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental 471.
Moverit incestus; certe furit, ac velut ursus 472.

aetatibus spectet. Argumentum est vel vetus vel novum. Nova persona sibi ubique constet. Argumentum, iam ab aliis tractatum, est facilius quam nondum tractatum. Omnia in scena ne oculis spectatorum exponantur. De numero actuum et personarum. De officio Chori. Atque his de Heroico et Dramatico carmine dictis, communes quaedam subiunguntur animadversiones, veluti: de Natura et Arte iungenda. Graecos in utraque excelluisse, Romanos minus, idque propter perversam puerorum educationem. Poeta utile dulci misceat. Nemo poeta est quidem perfectus; studeat tamen, quantum possit, perfectioni. Carmen undique et intus spectari non reformidet. Nam mediocris poeta est negotium intolerabile. Et tamen unusquisque versus facit, quamvis non didicerit; neque aliorum iudicium cognoscit. Miseri homines, qui poesin sic tractent, cum praesertim ea sit res tam vetus, utilis et venerabilis. Sed facultas poetica non sine magno labore comparatur. Sine eo poetae fiunt inepti, quales hodie sunt multi. Et tamen, si meus poeta sit dives, laudatur ab adulatoribus, sed a prudentibus ridetur. Isque risu dignus est. Nam, dum se intelligentem et magni ingenii putat, insanit.

Absoluto iam hoc meo opere, aliorum dispositionem inspexi. Verebar enim ne, si prius inspexissem, vinculis quibusdam me ipse impediturus fuissem, quae integro iudicio obesse potuissent. Hanc a mea longe esse diversam, non sine magna animi laetitia cognovi. Auctores novae dispositionis sunt Antonius Riccobonus, Daniel Heinsius, Ludovicus Desprezius, Petrus Antonius Petrinius et Bouhierius. Editio Antonii Riccoboni prodiit Patavii a. 1591; Danielis Heinsii Leidae a. 1610; Ludovici Desprezii (Desprez) Parisiis a. 1712; Petri Antonii Petrinii Romae a. 1777, hoc titulo: *La poetica di Q. Orazio Flacco restituita all' ordine suo*

Obiectos caveae valuit si frangere clathros, 473.
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus: 474.
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo, 475.
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. 476.

tradotta in terzine con Prefazione Critica e Note; norma Bouhierii descripta exstat in Horreo Encyclopaedico (Franci appellant Magasin Encyclopédique) Parisiis, 1805.

Quoniam libri isti non omnibus in promtu sunt, ordinem versuum, quem vernm iudicabant, apposui. Idem fecit Gonodus, qui Epistolam ad Pisones edidit Parisiis a. 1841. Hic Petrinium non novisse videtur. Petrinius Epistolam etiam in tres partes divisit, ita tamen, ut eum diversam a mea rationem esse secutum appareat.

EPISTOLAE AD PISONES DE ARTE POETICA VARIAE DOCTORUM VIRORUM DISPOSITIONES.

ANTONIUS RICCOBONUS.

391—418. Silvestres homines --- nescire fateri.
295—308. Ingenium misera --- quo ferat error.
361—385. Ut pictura poesis --- faciesve Minerva.
32— 41. Aemilium circa ludum --- nec lucidus ordo.
309—332. Scribendi recte --- servanda cupresso.
285—294. Nil intentatum --- castigavit ad unguem.
333—334. Aut prodesse volunt --- dicere vitae.
341—346. Centuriae seniorum --- prorogat aevum.
73— 85. Res gestae regumque --- libera vina referre.
275—280. Ignotum tragicae --- nitique cothurno.
220—233. Carmine qui tragico --- pudibunda protervis.
281—284. Successit vetus --- sublato iure nocendi.
42— 45. Ordinis haec virtus --- carminis auctor.
146—152. Nec reditum Diomedis --- ne discrepet imum.
1— 13. Humano capiti --- tigribus agni.
338—340. Ficta voluptatis caussa --- extrahat alvo.
128—135. Difficile est proprie --- aut operis lex.
14— 23. Inceptis gravibus --- duntaxat et unum.
136—145. Nec sic incipies --- cum Cyclope Charybdim.
119—127. Aut famam sequere --- et sibi constet.
114—118. Intererit multum --- Thebis nutritus an Argis.
153—178. Tu quid ego et populus --- morabimur aptis.
335—337. Quidquid praecipies --- de pectore manat.
96—113. Telephus et Peleus --- peditesque cachinnum.
86— 95. Descriptas servare vices --- sermone pedestri.
270—274. At vestri proavi --- callemus et aure.
234—250. Non ego inornata --- donantve corona.

251—269. Syllaba longa --- versate diurna.
24— 31. Maxima pars vatum --- si caret arte.
46— 72. In verbis etiam tenuis --- et norma loquendi.
202—219. Tibia non ut nunc --- sententia Delphis.
179—188. Aut agitur res in scenis --- incredulus odi.
189—201. Neve minor neu sit --- fortuna superbis.
347—360. Sunt delicta tamen --- obrepere somnum.
386—390. Id tibi iudicium est --- nescit vox missa reverti.
419—476. Ut praeco ad merces --- cruoris hirudo.

DANIEL HEINSIUS.

1— 78. Humano capiti --- sub iudice lis est.
83— 85. Musa dedit fidibus --- libera vina referre.
79— 82. Archilochum proprio --- natum rebus agendis.
89— 92. Versibus exponi tragicis --- sortita decenter.
86— 88. Descriptas servare --- discere malo.
93—219. Interdum tamen et vocem --- sententia Delphis.
275—280. Ignotum tragicae genus --- nitique cothurno.
220—250. Carmine qui tragico --- donantve corona.
281—284. Successit vetus his comoedia --- iure nocendi.
251—274. Syllaba longa brevi subiecta --- callemus et aure.
285—334. Nil intentatum nostri --- idonea dicere vitae.
391—407. Silvestres homines sacer --- cantor Apollo.
335—390. Quidquid praecipies --- nescit vox missa reverti.
408—476. Natura fieret laudabile --- cruoris hirudo.

LUDOVICUS DESPREZIUS.

391—407. Silvestres homines --- et cantor Apollo.
408—411. Natura fieret --- coniurat amice.
361—378. Ut pictura poesis --- vergit ad imum.
73— 78. Res gestae --- iudice lis est.
83— 85. Musa dedit --- vina referre.
234—239. Non ego inornata --- Silenus alumni.

251—262. Syllaba longa --- crimine turpi.
79— 82. Archilochum proprio --- rebus agendis.
275—288. Ignotum tragicae --- docuere togatas.
202—224. Tibia non, ut nunc --- potus et exlex.
385—386. Tu nihil invita --- ea mens....
309—311. Scribendi recte --- non invita sequentur.
379—384. Ludere qui nescit --- remotus ab omni.
412—418. Qui studet optatam --- nescire fateri.
86— 88. Descriptas servare vices --- discere malo.
263—274. Non quivis videt --- callemus et aure.
323—332. Graiis ingenium --- servanda cupresso.
453—476. Ut mala quem scabies --- plena cruoris hirudo.
295—308. Ingenium misera --- quo ferat error.
38— 41. Sumite materiam --- lucidus ordo.
23. Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.
1— 9. Humano capiti --- reddatur formae.....
149—150. Et quae desperat --- relinquit.....
45. Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
42— 44. Ordinis haec virtus --- tempus omittat.
92. Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
29— 30. Qui variare cupit --- fluctibus aprum.
32— 37. Aemilium circa ludum --- nigroque capillo.
14— 22. Inceptis gravibus --- cur urceus exit.
128—130. Difficile est --- indictaque primus.
240—243. Ex noto fictum --- accedit honoris.
131—149. Publica materies --- auditorem rapit.....
151—152. Atque ita mentitur --- ne discrepet imum.
338—340. Ficta voluptatis caussa --- extrahat alvo.
317—322. Respicere exemplar --- nugaeque canorae.
101—127. Ut ridentibus arrident --- et sibi constet.
312—316. Qui didicit patriae --- convenientia cuique.
175—178. Multa ferunt anni --- morabimur aptis.
153—174. Tu quid ego et populus --- castigatorque minorum.
333—337. Aut prodesse --- de pectore manat.
341—346. Centuriae seniorum --- prorogat aevum.

179—201. Aut agitur res in scenis --- fortuna superbis.
244—250. Silvis deducti --- donantve corona.
225—233. Verum ita risores --- pudibunda protervis.
24— 28. Maxima pars vatum --- timidusque procellae.
31. In vitium culpae ducit fuga, si caret arte.
89— 91. Versibus exponi --- coena Thyestae.
93—100. Interdum tamen --- auditoris agunto.
46— 72. In verbis etiam tenuis --- norma loquendi.
388—390. ... Nonumque prematur --- missa reverti.....
289—294. Nec virtute foret --- ad unguem.
386—387. ... Si quid tamen olim --- et nostras.....
434—437. Reges dicuntur --- vulpe latentes.
419—433. Ut praeco --- laudatore movetur.
347—360. Sunt delicta --- obrepere somnum.
9— 13. ... Pictoribus atque poetis --- tigribus agni.
445—452. Vir bonus et prudens --- exceptumque sinistre.
438—444. Quinctilio si quid --- tua solus amares.

PETRUS ANTONIUS PETRINIUS.

I.

1— 13. Humano capiti --- tigribus agni.
408—411. Natura fieret --- coniurat amice.
295—308. Ingenium misera --- quo ferat error.
38— 45. Sumite materiam --- promissi carminis auctor.
309—322. Scribendi recte --- nugaeque canorae.
136—152. Nec sic incipies --- medio ne discrepet imum.
14— 23. Inceptis gravibus --- simplex duntaxat et unum.
32— 37. Aemilium circa ludum --- nigroque capillo.
46— 72. In verbis etiam tenuis --- et ius et norma loquendi.
99—113. Non satis est pulchra --- peditesque cachinnum.
333—346. Aut prodesse volunt --- scriptori prorogat aevum.
73— 78. Res gestae regumque --- sub iudice lis est.
83— 85. Musa dedit fidibus --- libera vina referre.
79— 82. Archilochum proprio --- natum rebus agendis.

251—262. Syllaba longa brevi --- artis crimine turpi.
270—274. At nostri proavi --- callemus et aure.
263—269. Non quivis videt --- versate diurna.
323—332. Graiis ingenium --- levi servanda cupressu.

II.

275—294. Ignotum tragicae --- castigavit ad unguem.
89— 98. Versibus exponi tragicis --- tetigisse querela.
153—178. Tu, quid ego --- aevoque morabimur aptis.
114—135. Intererit multum --- aut operis lex.
179—188. Aut agitur res in scenis --- incredulus odi.
361—365. Ut pictura poesis --- decies repetita placebit.
189—250. Neve minor quinto --- donantve corona.
86— 88. Cur ego, si nequeo --- discere malo.
412—418. Qui studet optatam --- nescire fateri.

III.

24— 31. Maxima pars vatum --- si caret arte.
347—360. Sunt delicta tamen --- obrepere somnum.
419—476. Ut praeco ad merces --- plena cruoris hirudo.
366—407. O maior iuvenum --- et cantor Apollo.

BOUHIERIUS.

1— 13. Humano capiti --- tigribus agni.
408—411. Natura fieret laudabile --- coniurat amice.
295—308. Ingenium misera --- quo ferat error.
333—334. Aut prodesse volunt --- dicere vitae.
390—406. Silvestres homines --- cantor Apollo.
38— 41. Sumite materiam --- lucidus ordo.
73— 78. Res gestae regumque --- iudice lis est.
83— 85. Musa dedit fidibus --- vina referre.
79— 82. Archilochum proprio --- rebus agendis.
119—152. Aut famam sequere --- discrepet imum.
14— 37. Inceptis gravibus --- nigroque capillo.

275—280. Ignotum tragicae --- nitique cothurno.
220—224. Carmine qui tragico --- potus et exlex.
281—284. Successit vetus his --- iure nocendi.
231—233. Effutire leves --- pudibunda protervis.
225—230. Verum ita risores --- et inania captet.
244—250. Silvis deducti --- donantve corona.
234—243. Non ego inornata --- accedit honoris.
179—186. Aut agitur res in scenis --- nefarius Atreus.
338—340. Ficta voluptatis caussa --- extrahat alvo.
186—187. Aut in avem --- incredulus odi.
341—346. Centuriae seniorum --- prorogat aevum.
42— 44. Ordinis haec virtus --- in tempus omittat.
361—365. Ut pictura poesis --- repetita placebit.
335—337. Quidquid praecipies --- pectore manat.
46. In verbis etiam tenuis cautusque serendis.
45. Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
47— 72. Dixeris egregie --- norma loquendi.
189—201. Neve minor quinto --- fortuna superbis.
89— 92. Versibus exponi tragicis --- sortita decenter.
86— 88. Descriptas servare vices --- discere malo.
93—113. Interdum tamen --- peditesque cachinnum.
153—157. Tu quid ego --- maturis dandus et annis.
309—322. Scribendi recte --- nugaeque canorae.
114—118. Intererit multum --- an Argis.
158—178. Reddere qui voces --- morabimur aptis.
285—288. Nil intentatum --- docuere togatas.
202—219. Tibia non ut nunc --- sententia Delphis.
289—294. Nec virtute foret --- ad unguem.
251—269. Syllaba longa --- versate diurna.
323—324. Graiis ingenium --- nullius avaris.
270—274. At nostri proavi --- callemus et aure.
212—213. Indoctus quid enim --- turpis honesto.
325—332. Romani pueri --- servanda cupresso.
412—415. Qui studet optatam --- extimuitque magistrum.
379—384. Ludere qui nescit --- remotus ab omni.

366—378. O maior iuvenum --- vergit ad imum.
347—360. Sunt delicta tamen --- obrepere somnum.
385—390. Tu nihil invita --- vox missa reverti.
419—440. Ut praeco ad merces --- delere iubebat.
442. Si defendere delictum quam vertere malles.
441. Et male formatos incudi reddere versus.
443—476. Nullum ultra verbum --- plena cruoris hirudo.

HORATII FLACCI
EPISTOLA
AD PISONES.
EDIDIT
P.H.PEERLKAMP.

HORATII FLACCI
EPISTOLA
AD PISONES.
EDIDIT
P.H.PEERLKAMP.

COLUMBIA UNIVERSITY
0025985639

0844102